This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600091638X

COMMENTARIUS PERPETUUS.

Typis A. W. Sythoff.

COMMENTARIUS PERPETUUS

IN

PRIORIS PAULI AD CORINTHIOS EPISTOLAE CAPUT QUINTUM DECIMUM

CUM EPISTOLA

AD

WINERUM

THEOLOGUM LIPSIENSEM.

AUCTORE

WESSELO ALBERTO VAN HENGEL.

SYLVAE DUCIS
APUD FRATRES MULLER.

1851.

101. b. 174.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

GEORGIO BENEDICTO WINER

THEOLOGO LIPSIENSI

WESSELUS ALBERTUS VAN HENGEL

THEOLOGUS LEIDENSIS.

Itaque tandem aliquando, Clarissime WINER! Commentarius, quem tibi plus semel a me parari scripseram, typis excusus est. Quantum Deo debeam, qui senectutem mihi dedit, neque ad alia studia inertem, neque huic labori imparem, pro beneficii magnitudine verbis explicare nequeo. Hominum autem, amicitiae vinculo mecum coniunctorum, neminem habebam, cui laborem illum potius quam tibi dedicarem. Nec mihi quidquam iucundius erat, quam per hanc occasionem publice testificari, quanti te, Vir Praeclare! faciam. Sed libri, ad cuius editionem tu ipse me excitasti, in fronte quoque tuum extare volebam nomen, cuius auctoritate aliis commendaretur.

Propositum Commentarii in *Epistolam* PAULI *ad Romanos* scribendi, quod iam dudum tecum communicavi, ad effectum non pervenisse, aegre, quaeso, ferre noli. Primum enim, quominus consilium illud rite peragerem, impedimento mihi necopinatus multarum fuit occupationum

quasi concursus. Deinde, quum libros, ad hanc Literarum Sacrarum partem illustrandam compositos, in molem excrescere viderem, a novo periculo faciendo valde deterrebar. Et magis magisque mihi persuasum est, me, annotatione ad selectos huius Epistolae locos, quorum explicationi me prodesse posse arbitrarer, conscribenda, ingravescenti aetati melius consulturum esse, quam si arduum susciperem opus elaborandi in totam Epistolam Commentarii. Itaque ad editionem tantum parare constitui quidquid mihi reperisse videbar, quo ad sententiam auctoris rectius intelligendam conferre possem. Praeterea vero alia mihi in promtu sunt, quae, ubi singula accurate limare et perpolire mihi contigerit, ex scriniis in lucem expromam. Honorificum enim, quo nunc fruor, otium otiosum non esse sinam, quamdiu pectori meo infixum manebit illud SENECAE: *vitam sine literis mortem esse et vivi hominis sepulturam.* Sed ut omnem CHRISTI sectatorem quotidie mortis meminisse decet, ita me senectutis imbecillitas spem longam inchoare vetat.

Ad Commentarium nunc elaboratum revertor, ut ad te, Vir Honoratissime! scribam, quae omnes lectores scire cupio. Postquam ante quatuor iam annos hoc opus susceperam, identidem illud variis de causis seponere coactus sum. Tela vero iterum iterumque recepta et tandem pertexta, ecce, haud pauca ei inesse vidi, quae denuo tractare necesse esset. At ne sic quidem mihi omnes, quas hoc Caput *Epistolae* PAULI *ad Corinthios* habet, tollere licuit difficultates. Immo ingenue fateor, me plus semel, quum sententiam dicerem, mihi ipsi non satisfecisse. Sed indulgentiam, quam errorum meorum experientia me implorare iubet, mihi a te, Vir Humanissime! non recusatum iri confido. Et fortasse de iis, quae a me omissa vel commissa sunt, lenius iudicabunt, qui me magis laudandis, quam reprehenden-

dis aliis delectari compererint. At mihi tamen crede, me hunc Commentarium neutiquam iuris publici facturum fuisse, nisi speravissem fore, ut eo contineri censerentur nonnulla ad Theologiam provehendam apposita. Haec vero non is sum, qui nova appellare ausim, quippe probe sciens cum ISOCRATE, haud ita crebro inveniri, quod de rebus, quae omnium in ore atque sermone sunt, nemo antea dixerit. Neque ea hîc recensere convenit, ne amplissimae tuae doctrinae immemor esse videar. Lectoribus autem huius libri pleraque eorum tanquam digito monstrabunt indices ad calcem eius adiecti. Hinc etiam apparebit, me alienum esse a connivendo in erroribus, quibus antea, quum literis aliquid mandarem, implicatus sim. Quod sane, si dies, ut in Proverbio est, diem docet, neminem prudentiorem offendet. Hactenus omnes me, quod auxilio Divino acceptum refero, mihi constitisse videbunt, ut nihil sanctius et antiquius habere pergerem quam unum id, quod verum est, indagare et propagare. Nam quominus illud unice sectarer, neutiquam me deterruit timor, ne hominibus displicerem, qui id minus agunt, ut Scriptorum Sacrorum doctrinam ex verbis eorum eruant, quam ut sua commenta iis obtrudant. Itaque interpretatione, non ad Theologorum vel Philosophorum placita, sed ad Hermeneuticae leges instituta, non dubitavi candide et religiose referre, quidquid auctoris orationi inesse videbatur. Quam maxime autem gaudebo, si tecum Viri iudicaverint harum rerum intelligentes, me hac via regia nonnihil lucis affudisse loco, beatam illam immortalitatem spectanti, in qua hominis Christiani spes omnis sita est. Vituperationes, quas haec agendi ratio effugere nequit, patienter feram ad CHRISTUM, Divinum verae doctrinae vindicem, oculis conversis. Sed solatium quoque praebebit cogitatio, nihil aliud mihi accidere, quam tibi omnibusque bonis,

quicunque liberali ingenio praediti factionibus servire nolunt.

Enimvero quocunque quisquis in loco est, eadem illi est acerbitas ex tristissima horum temporum conditione, de qua te, Vir Optime! mihi plus semel scribere memini. Nae ego ingratus homo sim, nisi me habere dicam, quod huic patriae meae gratuler, quoties cum domesticis comparo, quae apud exteros alii ad populos Socialismi et vel Communismi fraudibus corrumpendos, alii ad superstitionis torporem mentibus iniiciendum machinantur. Quid auream illam in civitate memorem libertatem, quae nobis a maioribus tradita est certisque legibus stabilita? At vel sic tamen animorum commotiones, quibus tota fere *Europa* perturbatur, his quoque in regionibus gravissimas creant molestias. Nobis quoque in sinu sunt, qui omne, quod aut rebus publicis salutare, aut mortalibus cum CHRISTI nomine sanctum et venerabile est, hostiliter aggrediantur. Praecipue vero curam nobis et sollicitudinem iniiciunt homines, qui, suo arbitratu inter CHRISTI sectatores dominari cupientes, communi consilio id moliuntur, ut libere de rebus sacris sentiendi loquendique facultatem imminuant vel tollant. Sed hac in scena apud nos eandem atque alibi tragoediam agi, tibi profecto narrare non opus est. Et nosti haud dubie, plerosque primarum partium actores, licet ingenii dotibus, aut generis nobilitate, aut probitatis fama splendeant, Theologos non esse, ceteros fere omnes, quotquot velut altis cothurnis incedant, Theologiam vel a limine tantum salutasse, vel minus verum ex tenebris eruendi, quam placita sua tuendi causa tractasse. Nec te fugere potest, quam amice illi cum quibuslibet Traditionis Veteris patronis conspirent, ut omnibus in doctrinae Christianae explicatione progressibus obnitantur. Nostratibus igitur haud secus quam Saxonibus aliisque Germanis, ubi de-

inceps persequenda aiunt, quae Reformatores sacrorum ad depravatam CHRISTI societatem, tanquam AUGEAE stabulum, sordibus purgandam inchoaverint, impietatis nota inuritur. Quantum gloriae antiqua Batavorum Respublica GROTIO debuerit, quantumque lucis ei Literarum Sacrarum interpretatio ad hunc usque debeat diem, neminem paulo intelligentiorem latet; quid vero, si tibi dixero, sine pudore prodire, qui, ad LINGUETI, VOLTARII similiumque obtrectatorum imitationem, Virum Immortalem sugillent vetusque iactent maledictum, librorum eius lectorem quasi per ignes incedere cineri doloso suppositos? Sed cum plura? Repetere nolo, quod me nuper, quum postremo Orationum mearum Sacrarum volumini praefarer, cum discipulis meis antiquioris et recentioris memoriae questum esse recordaberis.

De motibus animi, quibus harum rerum auctores variis in terris agitentur, nos, Vir mecum Coniunctissime! non valde dissentiemus. Satis magno numero hac in patria mea pariter atque alibi sunt, qui, superstitiosa maiorum reverentia obcoecati, laude dignos deputent homines Theologiae progressibus adversarios. Partem fallit opinio, ipsam religionem Christianam in discrimen adduci, si quando a fidei, quae dicuntur, formulis, seculo XVI et XVII constitutis, discedatur. Nec paucos transversos agit timor, ut aliter quam veteris doctrinae freno cohiberi possit effusa populorum in civitatibus licentia morumque corruptela. Utinam penes illos omnes nulla alia culpa sit, quam quod sibi ipsi fraudem fieri patiantur! Nihil sane, haud infitior, iniuriosius est quam dubitatio, an satis multi eorum rectae voluntatis ducantur conscientia. Sed quis esse negaverit, qui, PROTEI similes, varias sibi formas induant aliudque in pectore, aliud in ore ferant? Tibine, obsecro te, incogniti etiam sunt, qui artes et fallacias misceant ad cerebri male sani somnia, quae sibi cre-

denda esse persuaserint, usquequaque propaganda? Quidquid vero harum rerum est, intolerabilem duco arrogantiam hominum, qui in Theologia puerorum et infantium instar sunt; et de eius tamen capitibus tanquam paterna gravitate decernere audent. Levitatem indignor multorum tam patriciae quam plebeiae stirpis, ubi semidoctis aurae popularis captatoribus, quin meris etiam nugatoribus propterea, quod recte de rebus sacris sentiendi famam habent, hac in disciplina principatum fere attribuunt. Quamobrem non valde miror, identidem, etiam inter nostrates, audiri voces societati Christianae increbrescentem superstitionis caliginem praenunciantes.

Sed his vocibus, ut ego non perturbor, sic te, Vir Summe! quo forti animo es, minime perturbatum iri scio. Meliora videlicet nos a Divino huius mundi Rectore speramus, quam ut ignorantiam, quae praesentis mali praesentissima causa est, recuperaturam credamus, quidquid imperii in animos amiserit. Tum ipsas, quas liberale Theologiae studium multorum in mentibus egit et quotidie agere pergit, radices altiores esse novimus, quam ut ei metuenda sit ulla labes. Et nonne horum dierum conspiratio ad disciplinam veluti catenis constringendam satis magna ex parte hinc oritur, quod plerorumque segnities a progressibus sequendis abhorrere solet? Equidem nescio, an huius rei cogitatio plus ad erigendum, quam ad deprimendum valeat animum, praesertim recolentibus illud, quod eleganter apud MENANDRUM *Parmenoni* dicitur, quidquid boni in vita humana sit, id ipsis ex malis progenerari. Itaque cum iis consentio, qui horum temporum faciem imaginem referre putant corporis febri laborantis, ut excretis pravis humoribus ad sanitatem pristina firmiorem perducatur. An serius ocius medicinae nonnihil allatura sit illa, ut Graeco vocabulo utar, *φιλανθρω-*

πία, quae hisce diebus in generis humani salute et amplificanda et confirmanda per varias terrarum regiones variisque modis occupata est, quis ego sum, qui explorare queam? In hanc certe, cuius defensoribus tempus eget, rerum sacrarum causam non quadrat arbitrium, quale olim ad lites Graecorum dirimendas Amphictyonibus delatum est. Sed quam praeclare cum hominibus ageretur nomen CHRISTI profitentibus, si supremum aliquod existeret concilium, in quo viri doctrina et probitate maxime insignes, salva unicuique sentiendi sententiamque dicendi libertate, pacem et concordiam tuerentur!

At quid quod ante pedes est procul quaero? Donec inter homines variarum partium tuis scriptis, Excellentissime WINER! suus erit honos, ignorantiae contagio a Theologiae finibus sine dubio arcebitur. Tua quam maxime, quinquies edita, Grammatica librorum Novi Testamenti, quibus omnis Doctrinae Christianae elementa continentur, legitimam interpretationem ab imperitorum libidine, apud posteros etiam, vindicabis. Mihi autem qualis quantusque tu ad sensum Literarum Sacrarum investigandum dux et adjutor sis, hic ipse tibi multifariam testabitur Commentarius. Sicubi de via, lectoribus a te monstrata, paululum deflectendum esse monui, te candorem meum probaturum esse confido, etiamsi disputatis intersint, quae improbanda censeas. Maiorum more Latine scribere coactus sum, nisi exteros latere volebam, quae ad celebrem hunc Novi Testamenti locum illustrandum tentassem. Familiaris enim sermonis vernaculi consuetudo vix extra angustos egreditur fines, quibus haec patria mea circumscripta est. Quod uti te non fugit, ita me ubertim docuit experientia, quum animadverterem, notitiam plerorumque, quae commentatus essem, iis etiam, quae ceteris potiora ducebam, haud exceptis, ulterius non penetrasse. Quapropter si mihi dabitur facultas in ordinem redigendi, quae supra ad editionem

destinata esse scripsi, curabo, ut eorum quoque nonnulla Latine prodeant. Hoc autem, quicunque in eo offendatur, a te non reprehensum iri auguror, quem haud ita pridem intellexi metuere, ne nimio hominum fervore linguae Latinae usus ex scholis et Academiis tolleretur.

Iam praestantissimis Academiae Leidensis alumnis, ABRAHAMO KUENEN, Theologiae doctori, S. S. Ministerii Candidato atque Interpretis Legati Warneriani Adjutori, et CATHARINO FORANDINO ZEEMAN, Theologiae Studioso, qui mihi ad corrigendos operarum errores adiumento fuerunt, publice grati animi significatione facta, nihil aliud mihi reliquum est, quam ut tibi, Vir Amicissime! valedicam. Quum nuperrime mihi scripsisses, te, facto per Germaniam superiorem itinere, promte et alacriter ad consueta studia rediisse, dicere nequeo, quam laetus nuncius mihi fueris. Nihil superesset, quod optarem, si quando per tabellarium publicum Literas acciperem, quibus me certiorem faceres de curata tandem, qua multum laborasti, oculorum valetudine. Equidem Deum O. M. precibus adire non desinam, ut hac diu corporis animique incolumitate fruaris, qua singularia illa, quibus totam hominum Christianorum societatem tibi devinxisti, merita, quantum cumulato cumulatu locus est, adaugere possis. Ceterum, quamdiu vivam, tibi probare conabor, in me neutiquam convenire Proverbium, quod ATHENAEUS iam ab humanitate alienissimum dixit, amicos e longinquo habitantes amicos non esse.

Scripsi LEIDAE d. XVII Octobris 1851.

INTROITUS.

Inter monumenta vetustatis, quae sine ulla controversia PAULO Apostolo debentur, *prior ad Corinthios* est *Epistola*. Hanc *Ephesi* tertio scripsit anno, quo ad causam CHRISTI agendam ibi versabatur. Praeter explicationem sententiae, in Literis nunc deperditis [1]), de fugienda improborum consuetudine dictae, reprehensionem ea continet litium et controversiarum, item errorum et flagitiorum, quorum fama in *Ioniam* pervenerat, et responsionem ad quaestiones aliquot, a sectatoribus CHRISTI auctori propositas. Inter illas autem quaestiones argumentum quoque collocare, quod Capite XV tractatur, profecto nihil habet a fide alieni. At huic tamen Capiti indicia, qualia in praecedentibus exstant [2]), ad Literas acceptas responderi, insunt plane nulla. Nec vero hac in causa dissensionum illarum, quae Cap. I: 12 notatae sunt, vestigia deprehenduntur. Quid igitur superest quam sumere, PAULUM, ad huius Epistolae finem, *de reditu mortuorum in vitam* sententiam dixisse, ut succur-

[1]) I *Cor.* V: 9.

[2]) Cap. VII: 1. VIII: 1. XI: 2. XII: 1.

reret lectoribus, quorum animos a cavillatoribus nonnullis [1]) turbari audivisset?

Ad quaestionem, quinam cavillatores illi fuerint, nonnulli ita responderunt, ut modum transirent. MELANCHTHONUS [2]) triplex recensuit genus: praestigiatores, in mortuorum resuscitatione *Allegoriam* esse fingentes, quae *morum* significaret *emendationem;* tum alios corporibus vitam reddi negantes; denique homines, qui, *Epicureorum* et *Sadducaeorum* similes, corpora simul et animos exstingui putarunt. Aliter recentiori memoria HEYDENREICHIUS [3]) triplex eorum, quos sibi Apostolus redarguere videbatur, distinxit genus, duobus, quorum alteri omnem immortalitatem, alteri corporum reditum in vitam aspernati sunt, tertios adiiciens homines, et de tempore revocationis mortuorum in vitam laborantes, et de sorte aestuantes superstitum hac in terra usque ad diem CHRISTI illustrem. Et iam CHRYSOSTOMUS [4]) Corinthios nunc facit cum HYMENAEO et PHILETO [5]) dicentes *resurrectionem iam esse peractam*, nunc vero *resurrectionem nihil aliud quam animi purgationem esse* contendentes. Sed quae vs. 12. leguntur: πῶς λέγουσί τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν; nullam

---

[1]) MEYERUS, *Kritisch exeget. Handbuch.* Ed. II. p. 308, 309 hos cavillatores ex hominibus fuisse coniiciens, qui ab APOLLO dicerentur, significanter tamen *ipsam*, virum illum professam, *sectam* hîc non in censum venire monet. Viri Docti autem, quos GIESELERUS, *Lehrbuch der Kirchengeschichte.* Ed. IV. Tom I. Part. 1. p. 111 et OSIANDER, *Comment. über den erst. Brief P. an die Korinthiër.* p. 9 sqq. disputationem de variis Corinthiorum partibus nuper renovasse tradunt, Caput XV plerumque reliquerunt intactum. Judice BAURO, *Paulus, der Apost. J. C.* p. 326, 327, uno inter principes, argumentum huius Capitis cum litibus Cap. I: 12 notatis nihil commune habet.

[2]) *Argumentum et brevis explicatio prior. Ep. ad Corinth.* Opp. Tom. IV. p. 295.

[3]) *Comm. in prior. divi Pauli ad Corinthios Epist.* Tom. II. p. 445 sqq.

[4]) *Homil. in Ep. I ad Corinth.* XXXVIII. *Opp.* Tom. X. p. 350. MONTEF.

[5]) 2 *Tim.* II: 17.

praebent ansam cogitandi, PAULUM se erroribus varii generis opposuisse. Quaestiones autem vs. 35 memoratae non seorsim considerandae sunt, sed coniunctim cum tota disputatione praecedente, unde sua sponte emanarunt. Et omnia hoc in Capite, etiam ubi digressiones fiunt, tam arcte cohaerent, ut hodie interpretes de eo inter se consentiant, unum esse argumentum, quod auctor ab initio ad finem persequatur.

Sed quale hoc argumentum sit, quaestio est multo difficilior. Nullis rationibus nititur, quod haud paucis [1]) visum est, vs. 12 *Sadducaeismi* notari sectatores, vel homines certe in *Sadducaeismo* natos et educatos. Nec maiori praesidio instructi alii [2]) hic *Essaeos* vel *Essaeismi* placitum in censum venire contenderunt. Sed hanc sectam, quacum nec JESU, neque Apostolis ullum commercium fuisse novimus, vel ejus placitum in Corinthiorum societatem CHRISTO dicatam penetrasse, plane incredibile est. Qui autem a *Sadducaeis* vel *Sadducaeismi* fautoribus corrupti erant, tenere non potuerunt, quod PAULUS Corinthios tenuisse sumsit, JESUM ex morte in vitam rediisse. Minus longe quaesita est sententia eorum, qui errorem hoc loco refelli putarunt ex *Gnosticismo* vel *Philosophia Orientali* ad CHRISTI sectatores propagatum [3]). Eodem fere tendit vel non

[1]) MICHAËLIS, *Inleid. in de Godd. Schriften van het N. V.* Tom II. Part I. p. 484 STORR, *Opusc. Acad.* Tom II. p. 327 sqq. FLATT, *Vorlesungen über die beyde Briefe P. an die Corinthiër.* p. 349, 350. KNAPP, *Script. var. argum.* Ed. II. p. 310 sqq. Iam CALVINUS, *Comment. in Ep.* I. *ad Corinth.* p. 202 homines redargui dixit *fascinatos Sadducaeorum delirio.*

[2]) MOSHEM. *Erklärung des I Briefes Pauli an die Gemeine zu Corinth.* SCHWEGLER, *Das nachapostol. Zeitalter.* Tom. I. p. 164.

[3]) HAMMOND, *Epistolae S. Ap. et Apoc. S. Joann. ex Vers. Vulg. cum Paraphr. et adnot. auct.* CLERICO. p. 192. GURLITTUS in POTTII *Syll. Comm. Theol.* vol. V. p. 21 sqq. BOSVELD, *De waarheid der opstanding van onzen Heer J. C.* cet. p. 99 sqq. MEBIUS, *Jezus leeft en wij zullen leven.* p. 6, 7.

multum certe differt, quod USTERIO [1]) aliisque [2]) placuit, Apostolum se opposuisse *Allegoristis*, HYMENAEI et PHILETI similibus, qui prava interpretatione formulae ἀναστάσεως νεκρῶν incautis fraudem facerent. Hae vero itidem merae sunt coniecturae, omni, quo probentur, carentes argumento. Haud scio quoque, an PAULUS lenioribus verbis usus sit, quam ut disputasse videatur adversus homines, qui perhiberent post mortem nihil superesse. Quod etiam ipsum sumere vetat, ex EPICURI schola profectos esse, qui ab eo redarguantur. Tum ratiocinatio vs. 32, ut post alios recte monet RÜCKERTUS [3]), lectores prodit a vita, ad quam sequendam *Epicurismus* ducit, omnino abhorrentes. Hoc unum auctor scribendo τινὲς ἐν ὑμῖν evidenter docuit, nonnullos illos, quorum argutias diluere conaretur, ad *societatem* CHRISTI pertinuisse. Satis certum quoque videtur, quod cum ZIEGLERO [4]) plerique autumant, eos *ex gentium communione* ad CHRISTI partes transgressos esse. An iure suo NEANDER [5]), MEYERUS, OSIANDER aliique [6]) eos Philosophia quodammodo habuerint imbutos, WETTIUM [7]) haud sine causa dubitasse intelligemus inde, quod PAULUS iis popularem tantum argumentationem obiecit, nihil admiscens ex disciplinae fontibus petitum. Quaestio autem, cur absque tali commendatione tantum valuerint *Corinthi*, ut CHRISTI sectatores se iis

---

[1]) *Entwickelung des Paulin. Lehrbegriffes.* Ed. VI. p. 344 sqq.

[2]) BILLROTH, *Comment. zu den Briefen des P. an die Corinthier.* p. 210, 211. OLSHAUSEN, *Bibl. Comment.* Tom. III. Ed. II. p. 736, 737. Iam antea eandem sententiam professi sunt GROTIUS, *Comm.* ad h. l. in *Bibl. crit.* VITRINGA, *Observ. Sacr.* Tom. I. p. 986 sqq. GERDESIUS, *Meletemata Sacr.* p. 6, 7.

[3]) *Der erste Brief P. an die Corinther bearbeitet*, ad XV. 12.

[4]) *Theol. Abhandlungen.* Tom. II. p. 92.

[5]) *Geschichte der Pflanz. u. Leit. der Christl. Kirche durch die Apostel.* Tom. I. p. 316.

[6]) Cf. ESTIUS, *Comment. in omnes D. Pauli Ap. Epist.* Tom I. ad h. l.

[7]) *Kurze Erklärung der Briefe an die Corinther.* Ed. II. p. 129.

in errorem ducendos traderent, nullum facesset negotium, dummodo eos homines acutioris ingenii fuisse sumamus.

Si hominum, quos PAULUS oppugnavit, non omnino cognitum genus est, quis valde mirabitur, de ipsa, quam Apostolus egit, causa Viros Doctos inter se discrepare? Quod ante omnia alia in mentem venit, *animi*, quam Philosophi dicunt, est *immortalitas;* in hac vero argumentum cerni non posse, cuius defensionem ille susceperit, tota eius disputatio tam luculenter ostendit, ut hodie nemo amplius ita sentiat. Hinc tamen non sequitur, quod iam TERTULLIANO [1]) placuit, eum hoc Caput scripsisse, ut *corporum,* quae dicitur, *resurrectionem* seu *reditum in vitam* tueretur. Multo minus huius loci est *resurrectio carnis,* quamquam recentiori memoria haud pauci formulam ἀνάστασις νεκρῶν ita interpretati sunt [2]), vestigiis insistentes veterum, quorum communi errore factum est, ut in *Symbolo Apostolorum* inter religionis Christianae capita *carnis* poneretur *resurrectio.* Hoc autem se eo facilius in animos insinuavit, quo plures sibi ab antiquo persuasum habuerunt, Scriptores Sacros vocabula σῶμα et σάρξ haud raro promiscue usurpasse. Quod ante paucos annos GRIETHUYSENIUS [3]) noster refutare aggressus, multum quidem caliginis discussit, nec tam prospera tamen fortuna usus est, ut

[1]) *Adv. Marc.* Lib. V. cap. 9, 10. *De resurrect. carnis.* cap. 40. Secuti sunt et alii, et THEODORETUS, *Interpret. Ep. I. ad Corinth.* p. 164. Ed. 1642. Eiusdem sententiae recentiori memoria praeter multos alios fuerunt KNAPPIUS l. c. et REDDINGIUS, *Over de opstanding der dooden in Prijsverhand. van het Gen. tot verded. van den Christ. Godsd.* 1805, p. 12 al.

[2]) BULLINGERUS, *Comment. in omnes Apost. Epistol.* Tigur. 1558. p. 238. JEHNIUS in *Commentat.* Edit. a VELTHUS. KUIN. en RUPERT. vol. II. p. 233 sqq. CALVINUS, quamvis nesciens, an in quaestionem etiam vocata sit animorum immortalitas, se tamen adduci non posse dixit, ut PAULI verba alio transferat, quam ad *resurrectionem carnis.*

[3]) *Dissert. Exeg.-Theol. de notionibus vocabulorum ΣΩΜΑ et ΣΑΡΞ in N. T. interpret. distinguendis.*

omnium ferret plausum [1]). Sed quidquid huius rei est, satis superque Viri Docti probarunt [2]), a vero aberrare, qui *carnis resurrectionem*, aut in aliis Novi Testamenti scriptis, aut 1 *Cor.* XV doceri opinentur. Sicuti vero *carnis resurrectio* a PAULO hoc in Capite non tractata est, sic etiam, qui disputationem de *corporum reditu in vitam* ei tribuant, multis in locis rectam orationis interpretationem deserere infra patebit. Ergo nihil aliud superest quam rationem concludere statuendo, Apostolum scripsisse, ut *hominem* immortalitati destinatum esse efficeret. Atque huius conclusionis probitatem mihi ad vs. 12 extra controversiam posuisse videor.

At ne sic quidem, ad hoc Caput intelligendum, luce satis clara fruimur. Sed lectoris desiderium pro viribus explere nequeo, nisi hominum, quorum in commodum PAULUS disputavit, paulo altius repetatur memoria. Nimirum quatuor vel quinque erant anni, quum *Corinthi* societatem condere CHRISTO dicatam Apostolo contigerat. Intra illud temporis spatium redire non potuerat ad hanc societatem corroborandam et amplificandam [3]). Sed ad veteres CHRISTI sectatores, eo absente, identidem novi accesserunt, leviores etiam

---

[1]) Inter nostrates se maxime opposuit VINKIUS in *Jaarboeken voor Wetensch. Theologie.* Tom VIII. Part. 3. p. 459 sqq.

[2]) GRIETH. l. c. p. 116 sqq. VAN OORDT, in Mus. *Waarheid in liefde.* 1841. p. 565. BAUR. l. c. p. 605, alii. cf. MULLERI disp. in *Studiën und Kritiken.* 1835. Part. 3. p. 768 sqq. 775 sqq.

[3]) Quamquam OSIANDER aliique interpretes PAULUM non bis tantum, sed ter *Corinthi* fuisse contenderunt; equidem valde dubito, an hanc sententiam in medium attulissent, si cum 1 *Cor.* XVI: 2. 2 *Cor.* II: 1: XII: 14. XIII: 1. accurate comparassent *Act.* XIX: 21, 22. 1 *Cor.* II: 1. XVI: 5 sqq. 2 *Cor.* I: 15 sqq. et animadvertissent, Pronomen τοῦτο 2 *Cor.* XIII: 1 postulare, ut formula τρίτον τοῦτο ἔρχομαι explicetur: *Hac tertia vice venturus sum*, seu *adventum meum paro*, quemadmodum Cap. XII: 14 verba τρίτον τοῦτο ad coniuncta ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν referenda sunt. Plura huc pertinentia dat BAURUS, *Theolog. Jahrbücher.* 1850. p. 139, 165. Cf. NIERMEYER, *Magazijn voor Kritiek en Exegetiek.* Tom. I. p. 262 sqq.

fortasse homines suaque sapientia inflati. Iam vero hi homines et discordiarum auctores fuisse, et animis scrupulos iniecisse videntur. Ergo Corinthiorum sive pauciores, sive plures immemores fieri inceperunt temporis illius laeti, quo, a PAULO ad spem et exspectationem vitae melioris erecti, avitae impietati et superstitioni valedixerant seque totos CHRISTO dederant. Nunc, hominis instar enervati, ubi adhuc steterunt immobiles, vacillare. Quid eos maneat, qui fiducia promissionum sibi Divinitus factarum mortis somnum inierint, anxie dubitare. Se quod attinet ipsos, inter spem et metum fluctuare. Animis maxime pendere ad clamorem illum, absurdam esse cogitationem, hominem, postquam semel fato succubuerit, in vitam restitui posse. Denique haud multum abesse a recidendo in veterem errorem, quotquot ad umbrarum sedes descenderint, tristem et lugubrem degere vitam vitae nomine indignam, nunquam vero illinc redituros esse [1]). Atque sic quidem sibi gravissimum recti et honesti stimulum cum omni solatio surripi patiebantur et ad CHRISTI communionem deserendam fiebant proclives. CHRISTI autem sectatores, qui adhuc in fide perstiterant, in periculum adducebant eiusdem casus per eadem devia subeundi. Quum igitur *Corinthii* aliis laborarent scrupulis, quam antea *Thessalonicenses* pupugissent [2]), alio nunc tempus egebat remedio. Et causae gravitas orationem longioris postulabat seriei. Hac vero in oratione, si praecipuas eius partes bene interpretatus sum, nihil est abstracti, nihil de quaestione Philosopha, an homo immortalitati destinatus sit, nulla disputatio de genere humano, aut de iis, qui ante CHRISTI aetatem hac in terra vixerunt, aut de Iudaeis gentibusque a CHRISTO alienis. Neces-

---

[1]) Cf. MEYERUS l. c.

[2]) Cf. OLSHAUSENIUS l. c.

sitati serviens id unum PAULUS agit, ut *beato sectatorum* CHRISTI *reditu in vitam* contra nonnullorum argutias defendendo iacentes erigat, stantes in fide confirmet [1]). Quod ut sibi ex voto succedat, ratiocinatione utitur ex ipsius CHRISTI reditu de mortuis exorsa, per digressiones populariter continuata et vs. 58 ad hortationem delata, in qua consilium auctoris cernitur.

Una restat quaestio eaque gravissima *de tempore redeundi in vitam sectatoribus* CHRISTI *constituto*. Primo quidem adspectu PAULUS hoc in Capite vs. 12, 13, 15, 17 sqq. 26, 29, 32, 35 sqq. 42 sqq. 49 tempus indicare videtur uniuscuiusque mortem continuo sequens. Sed si hanc mentem ei tribuimus, sumere cogimur, quod in circumiectam disputationem, praesertim in vs. 51 et 52 incurrit. Ibi enim Apostolus luculenter docet, fore aliquando, ut CHRISTI sectatores simul omnes in vitam revocentur. Contra hanc autem doctrinam locos supra excitatos tantum repugnare, si minus accurate explicentur, in Commentario, nisi fallor, effeci. Ergo non dubito, quin toto hoc in Capite PAULUS sectatoribus CHRISTI spem fecerit beatitatis futurae omnes uno eodemque tempore manentis. Atque hoc ipsum in aliis Novi Testamenti scriptis haud frustra quaeritur, licet excipiamus effata JESU *Joann.* V: 28, 29. VI: 39, 40, 44, 54 [2]), nec rationem habeamus opi-

[1]) Minus recte WETTIUS l. c. FLATTI vestigia sequens contendit, PAULUM id magis egisse, ut *Corinthiorum*, qui pravis opinionibus nondum corrupti essent, imbecillitati succurreret, quam ut earum refelleret auctores. Inter *Corinthios* enim fuisse, qui hominibus illis aures praeberent, praeter verba vs. 34 πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω et alia, totius disputationis vs. 2 iam docet initium.

[2]) *Joann.* V: 28, 29 vulgointerpretes *communem mortuorum egressum ex sepulcris* proponi sumserunt, etiam LÜCKIUS, *Comment. über das Ev. des Joh.* Ed. III ad h. l. et KÖSTLINUS, *der Lehrbegriff des Evangel.* cet. p. 280; iam diu ante TITTMANNUS, cum in *Meletem. Sacr.* ad. h. l. tum in disputatione *de resurrectione mortuorum beneficio* CHRISTI, inserta *Opusc. Theol.* Ibi vero p. 475, 476 largitus est, in loquendi usum non peccare, qui τοὺς ἐν τοῖς μνημείοις interpreten-

nionum *Pharisaeorum* et MARTHAE *Matth.* XXII: 23 sqq. *Marc.* XII: 18 sqq. *Luc.* XX: 27 sqq. *Joann.* XI: 24, aut dictionum minus evidentium *Act.* IV: 2. XXIII: 6. XXIV: 15, 21. Argumento nobis sint *Luc.* XIV: 14. 1 *Thess.* IV: 14 sqq. item *Phil.* III: 11, ubi verba εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν (τὴν ἐκ) νεκρῶν obstant Virorum Doctorum coniecturae, auctorem sententiam, *Thessalonicensibus* et *Corinthiis* propositam, postea mutasse. Propterea tamen contendendum non est cum ZELLERO [1]), omnia fere vitam futuram spectantia his in Literis ad tempus referri *resurrectioni*, quae dicitur, destinatum. Haud raro enim JESUS eiusque Apostoli et sectatores mentem ita enunciarunt, ut persuasum sibi habuisse videantur, reditum in vitam uniuscuiusque

---

tur *impios*, quorum alii doctrinam salutis grato animo accipiant et salutem consequantur, alii eam respuant misereque pereant. Nuperrime JENTINKIUS noster *Jaarboek. voor Wet. Theol.* Tom. VII p. 454 sqq. data opera id egit, ut vulgarem interpretationem refelleret. Et sane, quamvis hanc disputationem omnino probare nequeo, haud pauca tamen in ea legi, quae sperni non merentur. Sed bona a minus bonis sigillatim distinguere huius loci non est. Verbo tantum attingam argumenta, quae postulare videntur, ut propria huius orationis interpretatio figuratae cedat. Primum in censum venit institutum totius orationis; deinde ratiocinationis series vs. 17 sqq. et 30 sqq. hanc vitam spectans; porro Antithesis inter formulas ἀνάστασιν ζωῆς et ἀνάστασιν κρίσεως, quae cum sententia, totum genus humanum in iudicium vocatum iri, conciliari nequit; tum usus Aoristorum ποιήσαντες et πράξαντες, non Perfectorum πεποιηκότες et πεπραχότες (*Act.* XXV: 11, 25); quinto, sensus verborum ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ, quae explicanda esse: *audient eum Divinitus annunciantem viam salutis*, ex vs. 25 et aliunde apparet; sexto, praecedens illud οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, quod non significat: *qui erunt in monumentis*, sed *qui* (nunc) *sunt in monumentis;* septimo, verbum ἐκπορεύσονται, quo quum homines denotentur *iam in vitam revocati atque ita ad exeundum parati*, sequi non potest εἰς ἀνάστασιν ζωῆς ad homines denotandos *in vitam redituros, ut beatitatis fiant participes.* Sed alibi, si vita mihi viresque Divinitus conceduntur, singula haec enucleare et a contradictionibus vindicare conabor. Alterum locum *Joann.* VI: 39, 40, 44, 54 quod attinet, SCHOLTENIUS noster in *Jaarb. v. Wet. Theol.* Tom VIII. p. 431 sqq. si minus effecit, eum spurium esse et ex Euangelio JOANNIS expellendum, ita certe de eo disputavit, ut luculenter pateat vulgaris interpretationis falsitas.

[1]) *Theol. Jahrbücher.* 1847. p. 390 sqq.

mortem continuo sequi, ut *Luc.* XXIII: 43 *Act.* VII: 59. 2 *Cor.* V: 1 sqq. *Phil.* I: 23. *Hebr.* XII: 23. *Apoc.* IV: 10. VII: 14, 15. His cum locis conveniunt alii, quorum explicatio difficilis est, si inter hominis probi obitum et beatitatis ei promissae adeptionem nobis aliquod temporis intervallum cogitando fingimus, nempe *Matth.* XXII: 29 sqq. *Marc.* XII: 24 sqq. *Luc.* XX: 34 sqq. *Joann.* V: 24. X: 28. XIV: 1—3. *Rom.* XIV: 9, 10. 2 *Tim.* I: 10. 1 *Pet.* I: 3—9. *Apoc.* XIV: 13. Mirandi igitur non sunt Viri Docti, quorum iudicio libris Novi Testamenti doctrina inest, homines, simul ac moriantur, alterius illius vitae, cuius principium ἡ ἀνάστασις dicitur, fieri participes [1]). Equidem hoc in iudicio, quo Literae Sacrae cum Philosophia sensuque communi consentaneae fieri videntur, me diu acquiescere memini. Sed quoties periculum faciebam cum eo in concordiam redigendi locos illos, quos supra vidimus reditum hominum in vitam statuti temporis conditione adstringere, toties me laboris frustra suscepti poenituit. Nec vero ad nodos expediendos comparatum est, quod Theologis ab antiquo placuit, sectatorum CHRISTI diem obeuntium animos in coelum evehi, ut ibi beatitatis iam potiti primitiis maneant, donec cum corporibus in vitam revocatis iterum conjungantur et plena beatitate aeternum fruantur. Hoc enim placito in Novi Testamenti libros separatio corporis et animi in

---

[1]) Legantur, quae disputarunt VAN OORDT l. c. p. 584 sqq. BRIËTIUS, *Godgeleerde Bijdragen.* 1842. p. 161 sqq. 322 sqq. 489 sqq. 649 sqq. SCHOLTENIUS, *Jaarb. v. Wet. Theol.* Tom. VI. p. 445. JENTINKIUS l. c. et Tom. VIII. p. 100 sqq. Cff. NEANDER l. c. Tom. II. p. 652 sqq. MULLERUS l. c. p. 781 sqq. et WEIZELIUS ibid. 1836. p. 587, 588, 961 sqq. Iam diu antea PRIESTLEIUS, CORRODIUS aliique reditum in vitam uniuscuiusque mortem continuo sequi putarunt. Vide DONKER CURT. *Prijsverh. van het Gen. tot verd. van den Christ. Godsd.* 1805. p. 32 sqq. 64 sqq. Ceterum locorum, quibus haec sententia fulciri solet, haud paucis, uti *Joann.* X: 28. XIV: 1—3 *Act.* VII 59. 2 *Cor.* V: 1 sqq. *Phil.* I: 23. *Hebr.* XII: 23, sensum alienum ZELLERUS intulit, sive verba male interpretando, seu hominibus CHRISTI causa necatis assignando, quod sectatorum eius commune bonum est.

mortis articulo aliaque plura importantur, quorum nulla iis insunt vestigia. Negotium aggravant, quae ibi de communi mortuorum receptaculo vel sumta, vel tradita sunt, et ita quidem, ut ad probos haud secus quam ad improbos pertineant: qualia apparere videntur *Luc.* XVI: 22 sqq. *Act.* II: 24 sqq. *Rom.* X: 7. *Phil.* II: 10. 1 *Pet.* III: 19, 20. *Apoc.* I: 8. VI: 8. XX: 13, item, si receptum ᾅδη ab auctore profectum est, 1 *Cor.* XV: 55. Utique caliginem, cui involutum est, quod Scriptores Sacri de rebus vitae futurae proponunt, quamvis a STRAUSSIO [1]) aliisque oratione exaggeratur, haud temere cum WETTIO [2]) dolent omnes, quotquot liberalis ingenii acumine discrepantia tollere conantur. Qui vaticinationes JESU de regni sui institutione et propagatione a PAULO aliisque ad praesentiam eius adspectabilem eandemque instantem translatas esse monent, difficultatum tantum attingunt partem. Neque ad earum explicationem satisfacit cogitatio, Apostolos eorumque adiutores nunc nude et simpliciter dixisse vel scripsisse, quae de reditu in vitam sentirent ipsi, nunc formulis usos esse accommodatis ad imbecillitatem auditorum vel lectorum, qui antiquiorum aetatum umbras lucis Christianae splendori nondum omnino cedere sinerent. In memoriam vero revocare lubet, quod iam ante quadraginta fere annos disputavi de argumentationibus et rationibus, quas homines illi, pro suo quisque ingenio, ad doctrinam salutis proponendam adhibuerunt, ab ipsa doctrina distinguendis [3]). Sapientia igitur divina, Euangelii doctoribus concedens, ut singuli de modo temporeque redeundi in vitam afferrent, quae sibi maxime arridebant, mentes eorum ita direxit, ut, ad JESU auctoritatem et exemplum

---

1) *Die Christl. Glaubenslehre.* Tom. II. p. 633 sqq.

2) *Das Wesen des Christl. Glaubens.* p. 459.

3) *Verhandel. raakende den nat. en geopenb. Godsd. uitgegeven door Teylers Godgel. Gen.* Tom. XXVII.

provocantes, certam beatitatis futurae spem et exspectationem animis iniicerent.

Huic Capiti suam divisionem tribuisse puto, qui illud cum COCCEIO [1]) tripartitum facerent. *Prima* pars inservit ad reditum sectatorum CHRISTI in vitam argumentis probandum. In *altera* contradictiones, quas auctor sibi opponi finxit, refutantur. *Tertia* et quidem brevissima id, quod disputatum est, ad lectorum animum et vitam applicat. Nec longe hinc discedunt, qui cum JEHNIO hoc Caput duabus constare monent partibus, quas peroratio sequatur. Sed quatuor partibus, quarum prima vss. 1—11 contineatur, ut ARETIO [2]), BOSVELDIO aliisque placuit, statuendis, a se mutuo avelluntur, quae ad unam argumentationem proponendam coniuncta sunt.

---

[1]) *Opp.* Tom. IV. p. 719 sqq. Paulo aliter CRELLIUS, *Opp. Omn.* fol. 310 sqq.

[2]) *Commentarii in omnes Epistol. D. Pauli* ad h. l.

INTERPRETATIO.

Vers. 1, 2.

Disputationem suam PAULUS ab oratione incipit, quae apposita est ad lectores attentos, dociles, benevolos faciendos. Nec dubitandum est, quin ea sectatoribus CHRISTI Corinthiis, plus una de causa, facilior fuerit intellectu, quam nobis sit. Particulam δέ *autem*, uti ea Caput XV cum superiori connectit, sic transitioni ad huius loci argumentum inservire, nemo est, qui ignoret. Nomine ἀδελφοί, *fratres*, Apostolus lectores suos compellare videtur, ut eos praeparet ad reprehensiones, quas iam in mente habet, leniter ferendas. Similiter Cap. I: 10, 11. III: 1. IV: 6 etc. De eo autem Viri Docti inter se disceptant, quid εὐαγγέλιον significet. Nonnulli, quibus calculum adiecerunt HEYDENREICHIUS et RÜCKERTUS, hoc explicant *doctrinam* seu *notitiam mortis* CHRISTI *eiusque reditus in vitam*. Sed nexum orationis non assecuti vocabulo illi notionem affinxerunt tam ab hoc loco, quam ab usu loquendi

multum certe differt, quod USTERIO [1]) aliisque [2]) placuit, Apostolum se opposuisse *Allegoristis*, HYMENAEI et PHILETI similibus, qui prava interpretatione formulae *ἀναστάσεως νεκρῶν* incautis fraudem facerent. Hae vero itidem merae sunt coniecturae, omni, quo probentur, carentes argumento. Haud scio quoque, an PAULUS lenioribus verbis usus sit, quam ut disputasse videatur adversus homines, qui perhiberent post mortem nihil superesse. Quod etiam ipsum sumere vetat, ex EPICURI schola profectos esse, qui ab eo redarguantur. Tum ratiocinatio vs. 32, ut post alios recte monet RÜCKERTUS [3]), lectores prodit a vita, ad quam sequendam *Epicurismus* ducit, omnino abhorrentes. Hoc unum auctor scribendo *τινὲς ἐν ὑμῖν* evidenter docuit, nonnullos illos, quorum argutias diluere conaretur, ad *societatem* CHRISTI pertinuisse. Satis certum quoque videtur, quod cum ZIEGLERO [4]) plerique autumant, eos *ex gentium communione* ad CHRISTI partes transgressos esse. An iure suo NEANDER [5]), MEYERUS, OSIANDER aliique [6]) eos Philosophia quodammodo habuerint imbutos, WETTIUM [7]) haud sine causa dubitasse intelligemus inde, quod PAULUS iis popularem tantum argumentationem obiecit, nihil admiscens ex disciplinae fontibus petitum. Quaestio autem, cur absque tali commendatione tantum valuerint *Corinthi*, ut CHRISTI sectatores se iis

---

[1]) *Entwickelung des Paulin. Lehrbegriffes.* Ed. VI. p. 344 sqq.

[2]) BILLROTH, *Comment. zu den Briefen des P. an die Corinthiër.* p. 210, 211. OLSHAUSEN, *Bibl. Comment.* Tom. III. Ed. II. p. 736, 737. Iam antea eandem sententiam professi sunt GROTIUS, *Comm.* ad h. l. in *Bibl. crit.* VITRINGA, *Observ. Sacr.* Tom. I. p. 986 sqq. GERDESIUS, *Meletemata Sacr.* p. 6, 7.

[3]) *Der erste Brief P. an die Corinther bearbeitet*, ad XV. 12.

[4]) *Theol. Abhandlungen.* Tom. II. p. 92.

[5]) *Geschichte der Pflanz. u. Leit. der Christl. Kirche durch die Apostel.* Tom. I. p. 316.

[6]) Cf. ESTIUS, *Comment. in omnes D. Pauli Ap. Epist.* Tom I. ad h. l.

[7]) *Kurze Erklärung der Briefe an die Corinther.* Ed. II. p. 129.

in errorem ducendos traderent, nullum facesset negotium, dummodo eos homines acutioris ingenii fuisse sumamus.

Si hominum, quos PAULUS oppugnavit, non omnino cognitum genus est, quis valde mirabitur, de ipsa, quam Apostolus egit, causa Viros Doctos inter se discrepare? Quod ante omnia alia in mentem venit, *animi*, quam Philosophi dicunt, est *immortalitas;* in hac vero argumentum cerni non posse, cuius defensionem ille susceperit, tota eius disputatio tam luculenter ostendit, ut hodie nemo amplius ita sentiat. Hinc tamen non sequitur, quod iam TERTULLIANO [1]) placuit, eum hoc Caput scripsisse, ut *corporum*, quae dicitur, *resurrectionem* seu *reditum in vitam* tueretur. Multo minus huius loci est *resurrectio carnis*, quamquam recentiori memoria haud pauci formulam ἀνάστασις νεκρῶν ita interpretati sunt [2]), vestigiis insistentes veterum, quorum communi errore factum est, ut in *Symbolo Apostolorum* inter religionis Christianae capita *carnis* poneretur *resurrectio*. Hoc autem se eo facilius in animos insinuavit, quo plures sibi ab antiquo persuasum habuerunt, Scriptores Sacros vocabula σῶμα et σάρξ haud raro promiscue usurpasse. Quod ante paucos annos GRIETHUYSENIUS [3]) noster refutare aggressus, multum quidem caliginis discussit, nec tam prospera tamen fortuna usus est, ut

[1]) *Adv. Marc.* Lib. V. cap. 9, 10. *De resurrect. carnis.* cap. 40. Secuti sunt et alii, et THEODORETUS, *Interpret. Ep. I. ad Corinth.* p. 164. Ed. 1642. Eiusdem sententiae recentiori memoria praeter multos alios fuerunt KNAPPIUS l. c. et REDDINGIUS, *Over de opstanding der dooden in Prijsverhand. van het Gen. tot verded. van den Christ. Godsd.* 1805, p. 12 al.

[2]) BULLINGERUS, *Comment. in omnes Apost. Epistol.* Tigur. 1558. p. 238. JEHNIUS in *Commentat.* Edit. a VELTHUS. KUIN. en RUPERT. vol. II. p. 233 sqq. CALVINUS, quamvis nesciens, an in quaestionem etiam vocata sit animorum immortalitas, se tamen adduci non posse dixit, ut PAULI verba alio transferat, quam ad *resurrectionem carnis*.

[3]) *Dissert. Exeg.-Theol. de notionibus vocabulorum ΣΩΜΑ et ΣΑΡΞ in N. T. interpret. distinguendis.*

omnium ferret plausum [1]). Sed quidquid huius rei est, satis superque Viri Docti probarunt [2]), a vero aberrare, qui *carnis resurrectionem*, aut in aliis Novi Testamenti scriptis, aut 1 *Cor.* XV doceri opinentur. Sicuti vero *carnis resurrectio* a PAULO hoc in Capite non tractata est, sic etiam, qui disputationem de *corporum reditu in vitam* ei tribuant, multis in locis rectam orationis interpretationem deserere infra patebit. Ergo nihil aliud superest quam rationem concludere statuendo, Apostolum scripsisse, ut *hominem* immortalitati destinatum esse efficeret. Atque huius conclusionis probitatem mihi ad vs. 12 extra controversiam posuisse videor.

At ne sic quidem, ad hoc Caput intelligendum, luce satis clara fruimur. Sed lectoris desiderium pro viribus explere nequeo, nisi hominum, quorum in commodum PAULUS disputavit, paulo altius repetatur memoria. Nimirum quatuor vel quinque erant anni, quum *Corinthi* societatem condere CHRISTO dicatam Apostolo contigerat. Intra illud temporis spatium redire non potuerat ad hanc societatem corroborandam et amplificandam [3]). Sed ad veteres CHRISTI sectatores, eo absente, identidem novi accesserunt, leviores etiam

---

[1]) Inter nostrates se maxime opposuit VINKIUS in *Jaarboeken voor Wetensch. Theologie.* Tom VIII. Part. 3. p. 459 sqq.

[2]) GRIETH. l. c. p. 116 sqq. VAN OORDT, in Mus. *Waarheid in liefde.* 1841. p. 565. BAUR. l. c. p. 605, alii. cf. MULLERI disp. in *Studiën und Kritiken.* 1835. Part. 3. p. 768 sqq. 775 sqq.

[3]) Quamquam OSIANDER aliique interpretes PAULUM non bis tantum, sed ter *Corinthi* fuisse contenderunt; equidem valde dubito, an hanc sententiam in medium attulissent, si cum 1 *Cor.* XVI: 2. 2 *Cor.* II: I: XII: 14. XIII: 1. accurate comparassent *Act.* XIX: 21, 22. 1 *Cor.* II: 1. XVI: 5 sqq. 2 *Cor.* I: 15 sqq. et animadvertissent, Pronomen τοῦτο 2 *Cor.* XIII: 1 postulare, ut formula τρίτον τοῦτο ἔρχομαι explicetur: *Hac tertia vice venturus sum*, seu *adventum meum paro*, quemadmodum Cap. XII: 14 verba τρίτον τοῦτο ad coniuncta ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν referenda sunt. Plura huc pertinentia dat BAURUS, *Theolog. Jahrbücher.* 1850. p. 139, 165. Cf. NIERMEYER, *Magazijn voor Kritiek en Exegetiek.* Tom. I. p. 262 sqq.

fortasse homines suaque sapientia inflati. Iam vero hi homines et discordiarum auctores fuisse, et animis scrupulos iniecisse videntur. Ergo Corinthiorum sive pauciores, sive plures immemores fieri inceperunt temporis illius laeti, quo, a PAULO ad spem et exspectationem vitae melioris erecti, avitae impietati et superstitioni valedixerant seque totos CHRISTO dederant. Nunc, hominis instar enervati, ubi adhuc steterunt immobiles, vacillare. Quid eos maneat, qui fiducia promissionum sibi Divinitus factarum mortis somnum inierint, anxie dubitare. Se quod attinet ipsos, inter spem et metum fluctuare. Animis maxime pendere ad clamorem illum, absurdam esse cogitationem, hominem, postquam semel fato succubuerit, in vitam restitui posse. Denique haud multum abesse a recidendo in veterem errorem, quotquot ad umbrarum sedes descenderint, tristem et lugubrem degere vitam vitae nomine indignam, nunquam vero illinc redituros esse [1]). Atque sic quidem sibi gravissimum recti et honesti stimulum cum omni solatio surripi patiebantur et ad CHRISTI communionem deserendam fiebant proclives. CHRISTI autem sectatores, qui adhuc in fide perstiterant, in periculum adducebant eiusdem casus per eadem devia subeundi. Quum igitur *Corinthii* aliis laborarent scrupulis, quam antea *Thessalonicenses* pupugissent [2]), alio nunc tempus egebat remedio. Et causae gravitas orationem longioris postulabat seriei. Hac vero in oratione, si praecipuas eius partes bene interpretatus sum, nihil est abstracti, nihil de quaestione Philosopha, an homo immortalitati destinatus sit, nulla disputatio de genere humano, aut de iis, qui ante CHRISTI aetatem hac in terra vixerunt, aut de Iudaeis gentibusque a CHRISTO alienis. Neces-

---

[1]) Cf. MEYERUS l. c.

[2]) Cf. OLSHAUSENIUS l. c.

sitati serviens id unum PAULUS agit, ut *beato sectatorum* CHRISTI *reditu in vitam* contra nonnullorum argutias defendendo iacentes erigat, stantes in fide confirmet [1]). Quod ut sibi ex voto succedat, ratiocinatione utitur ex ipsius CHRISTI reditu de mortuis exorsa, per digressiones populariter continuata et vs. 58 ad hortationem delata, in qua consilium auctoris cernitur.

Una restat quaestio eaque gravissima *de tempore redeundi in vitam sectatoribus* CHRISTI *constituto.* Primo quidem adspectu PAULUS hoc in Capite vs. 12, 13, 15, 17 sqq. 26, 29, 32, 35 sqq. 42 sqq. 49 tempus indicare videtur uniuscuiusque mortem continuo sequens. Sed si hanc mentem ei tribuimus, sumere cogimur, quod in circumiectam disputationem, praesertim in vs. 51 et 52 incurrit. Ibi enim Apostolus luculenter docet, fore aliquando, ut CHRISTI sectatores simul omnes in vitam revocentur. Contra hanc autem doctrinam locos supra excitatos tantum repugnare, si minus accurate explicentur, in Commentario, nisi fallor, effeci. Ergo non dubito, quin toto hoc in Capite PAULUS sectatoribus CHRISTI spem fecerit beatitatis futurae omnes uno eodemque tempore manentis. Atque hoc ipsum in aliis Novi Testamenti scriptis haud frustra quaeritur, licet excipiamus effata JESU *Joann.* V: 28, 29. VI: 39, 40, 44, 54 [2]), nec rationem habeamus opi-

---

[1]) Minus recte WETTIUS l. c. FLATTI vestigia sequens contendit, PAULUM id magis egisse, ut *Corinthiorum*, qui pravis opinionibus nondum corrupti essent, imbecillitati succurreret, quam ut earum refelleret auctores. Inter *Corinthios* enim fuisse, qui hominibus illis aures praeberent, praeter verba vs. 34 πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω et alia, totius disputationis vs. 2 iam docet initium.

[2]) *Joann.* V: 28, 29 vulgointerpretes *communem mortuorum egressum ex sepulcris* proponi sumserunt, etiam LÜCKIUS, *Comment. über das Ev. des Joh.* Ed. III ad h. l. et KÖSTLINUS, *der Lehrbegriff des Evangel.* cet. p. 280; iam diu ante TITTMANNUS, cum in *Meletem. Sacr.* ad. h. l. tum in disputatione *de resurrectione mortuorum beneficio* CHRISTI, inserta *Opusc. Theol.* Ibi vero p. 475, 476 largitus est, in loquendi usum non peccare, qui τοὺς ἐν τοῖς μνημείοις interpreten-

nionum *Pharisaeorum* et MARTHAE *Matth.* XXII: 23 sqq. *Marc.* XII: 18 sqq. *Luc.* XX: 27 sqq. *Joann.* XI: 24, aut dictionum minus evidentium *Act.* IV: 2. XXIII: 6. XXIV: 15, 21. Argumento nobis sint *Luc.* XIV: 14. 1 *Thess.* IV: 14 sqq. item *Phil.* III: 11, ubi verba εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν (τὴν ἐκ) νεκρῶν obstant Virorum Doctorum coniecturae, auctorem sententiam, *Thessalonicensibus* et *Corinthiis* propositam, postea mutasse. Propterea tamen contendendum non est cum ZELLERO [1]), omnia fere vitam futuram spectantia his in Literis ad tempus referri *resurrectioni*, quae dicitur, destinatum. Haud raro enim JESUS eiusque Apostoli et sectatores mentem ita enunciarunt, ut persuasum sibi habuisse videantur, reditum in vitam uniuscuiusque

---

tur *impios*, quorum alii doctrinam salutis grato animo accipiant et salutem consequantur, alii eam respuant misereque pereant. Nuperrime JENTINKIUS noster *Jaarboek. voor Wet. Theol.* Tom. VII p. 454 sqq. data opera id egit, ut vulgarem interpretationem refelleret. Et sane, quamvis hanc disputationem omnino probare nequeo, haud pauca tamen in ea legi, quae sperni non merentur. Sed bona a minus bonis sigillatim distinguere huius loci non est. Verbo tantum attingam argumenta, quae postulare videntur, ut propria huius orationis interpretatio figuratae cedat. Primum in censum venit institutum totius orationis; deinde ratiocinationis series vs. 17 sqq. et 30 sqq. hanc vitam spectans; porro Antithesis inter formulas *ἀνάστασιν ζωῆς* et *ἀνάστασιν κρίσεως*, quae cum sententia, totum genus humanum in iudicium vocatum iri, conciliari nequit; tum usus Aoristorum *ποιήσαντες* et *πράξαντες*, non Perfectorum *πεποιηκότες* et *πεπραχότες* (*Act.* XXV: 11, 25); quinto, sensus verborum *ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ*, quae explicanda esse: *audient eum Divinitus annunciantem viam salutis*, ex vs. 25 et aliunde apparet; sexto, praecedens illud *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*, quod non significat: *qui erunt in monumentis*, sed *qui* (nunc) *sunt in monumentis;* septimo, verbum *ἐκπορεύσονται*, quo quum homines denotentur *iam in vitam revocati atque ita ad exeundum parati*, sequi non potest *εἰς ἀνάστασιν ζωῆς* ad homines denotandos *in vitam redituros, ut beatitatis fiant participes.* Sed alibi, si vita mihi viresque Divinitus conceduntur, singula haec enucleare et a contradictionibus vindicare conabor. Alterum locum *Joann.* VI: 39, 40, 44, 54 quod attinet, SCHOLTENIUS noster in *Jaarb. v. Wet. Theol.* Tom VIII. p. 431 sqq. si minus effecit, eum spurium esse et ex Euangelio JOANNIS expellendum, ita certe de eo disputavit, ut luculenter pateat vulgaris interpretationis falsitas.

[1]) *Theol. Jahrbücher.* 1847. p. 390 sqq.

mortem continuo sequi, ut *Luc.* XXIII: 43 *Act.* VII: 59. 2 *Cor.* V: 1 sqq. *Phil.* I: 23. *Hebr.* XII: 23. *Apoc.* IV: 10. VII: 14, 15. His cum locis conveniunt alii, quorum explicatio difficilis est, si inter hominis probi obitum et beatitatis ei promissae adeptionem nobis aliquod temporis intervallum cogitando fingimus, nempe *Matth.* XXII: 29 sqq. *Marc.* XII: 24 sqq. *Luc.* XX: 34 sqq. *Joann.* V: 24. X: 28. XIV: 1—3. *Rom.* XIV: 9, 10. 2 *Tim.* I: 10. 1 *Pet.* I: 3—9. *Apoc.* XIV: 13. Mirandi igitur non sunt Viri Docti, quorum iudicio libris Novi Testamenti doctrina inest, homines, simul ac moriantur, alterius illius vitae, cuius principium *ἡ ἀνάστασις* dicitur, fieri participes [1]). Equidem hoc in iudicio, quo Literae Sacrae cum Philosophia sensuque communi consentaneae fieri videntur, me diu acquiescere memini. Sed quoties periculum faciebam cum eo in concordiam redigendi locos illos, quos supra vidimus reditum hominum in vitam statuti temporis conditione adstringere, toties me laboris frustra suscepti poenituit. Nec vero ad nodos expediendos comparatum est, quod Theologis ab antiquo placuit, sectatorum CHRISTI diem obeuntium animos in coelum evehi, ut ibi beatitatis iam potiti primitiis maneant, donec cum corporibus in vitam revocatis iterum conjungantur et plena beatitate aeternum fruantur. Hoc enim placito in Novi Testamenti libros separatio corporis et animi in

---

[1]) Legantur, quae disputarunt VAN OORDT l. c. p. 584 sqq. BRIËTIUS, *Godgeleerde Bijdragen.* 1842. p. 161 sqq. 322 sqq. 489 sqq. 649 sqq. SCHOLTENIUS, *Jaarb. v. Wet. Theol.* Tom. VI. p. 445. JENTINKIUS l. c. et Tom. VIII. p. 100 sqq. Cf. NEANDER l. c. Tom. II. p. 652 sqq. MULLERUS l. c. p. 781 sqq. et WEIZELIUS ibid. 1836. p. 587, 588, 961 sqq. Iam diu antea PRIESTLEIUS, CORRODIUS aliique reditum in vitam uniuscuiusque mortem continuo sequi putarunt. Vide DONKER CURT. *Prijsverh. van het Gen. tot verd. van den Christ. Godsd.* 1805. p. 32 sqq. 64 sqq. Ceterum locorum, quibus haec sententia fulciri solet, haud paucis, uti *Joann.* X: 28. XIV: 1—3 *Act.* VII 59. 2 *Cor.* V: 1 sqq. *Phil.* I: 23. *Hebr.* XII: 23, sensum alienum ZELLERUS intulit, sive verba male interpretando, seu hominibus CHRISTI causa necatis assignando, quod sectatorum eius commune bonum est.

mortis articulo aliaque plura importantur, quorum nulla iis insunt vestigia. Negotium aggravant, quae ibi de communi mortuorum receptaculo vel sumta, vel tradita sunt, et ita quidem, ut ad probos haud secus quam ad improbos pertineant: qualia apparere videntur *Luc.* XVI: 22 sqq. *Act.* II: 24 sqq. *Rom.* X: 7. *Phil.* II: 10. 1 *Pet.* III: 19, 20. *Apoc.* I: 8. VI: 8. XX: 13, item, si receptum ᾅδη ab auctore profectum est, 1 *Cor.* XV: 55. Utique caliginem, cui involutum est, quod Scriptores Sacri de rebus vitae futurae proponunt, quamvis a STRAUSSIO [1]) aliisque oratione exaggeratur, haud temere cum WETTIO [2]) dolent omnes, quotquot liberalis ingenii acumine discrepantia tollere conantur. Qui vaticinationes JESU de regni sui institutione et propagatione a PAULO aliisque ad praesentiam eius adspectabilem eandemque instantem translatas esse monent, difficultatum tantum attingunt partem. Neque ad earum explicationem satisfacit cogitatio, Apostolos eorumque adiutores nunc nude et simpliciter dixisse vel scripsisse, quae de reditu in vitam sentirent ipsi, nunc formulis usos esse accommodatis ad imbecillitatem auditorum vel lectorum, qui antiquiorum aetatum umbras lucis Christianae splendori nondum omnino cedere sinerent. In memoriam vero revocare lubet, quod iam ante quadraginta fere annos disputavi de argumentationibus et rationibus, quas homines illi, pro suo quisque ingenio, ad doctrinam salutis proponendam adhibuerunt, ab ipsa doctrina distinguendis [3]). Sapientia igitur divina, Euangelii doctoribus concedens, ut singuli de modo temporeque redeundi in vitam afferrent, quae sibi maxime arridebant, mentes eorum ita direxit, ut, ad JESU auctoritatem et exemplum

---

[1]) *Die Christl. Glaubenslehre.* Tom. II. p. 633 sqq.

[2]) *Das Wesen des Christl. Glaubens.* p. 459.

[3]) *Verhandel. raakende den nat. en geopenb. Godsd. uitgegeven door Teylers Godgel. Gen.* Tom. XXVII.

provocantes, certam beatitatis futurae spem et exspectationem animis iniicerent.

Huic Capiti suam divisionem tribuisse puto, qui illud cum COCCEIO [1]) tripartitum facerent. *Prima* pars inservit ad reditum sectatorum CHRISTI in vitam argumentis probandum. In *altera* contradictiones, quas auctor sibi opponi finxit, refutantur. *Tertia* et quidem brevissima id, quod disputatum est, ad lectorum animum et vitam applicat. Nec longe hinc discedunt, qui cum JEHNIO hoc Caput duabus constare monent partibus, quas peroratio sequatur. Sed quatuor partibus, quarum prima vss. 1—11 contineatur, ut ARETIO [2]), BOSVELDIO aliisque placuit, statuendis, a se mutuo avelluntur, quae ad unam argumentationem proponendam coniuncta sunt.

---

[1]) *Opp.* Tom. IV. p. 719 sqq. Paulò aliter CRELLIUS, *Opp. Omn.* fol. 310 sqq.

[2]) *Commentarii in omnes Epistol. D. Pauli* ad h. l.

INTERPRETATIO.

Vers. 1, 2.

Disputationem suam PAULUS ab oratione incipit, quae apposita est ad lectores attentos, dociles, benevolos faciendos. Nec dubitandum est, quin ea sectatoribus CHRISTI Corinthiis, plus una de causa, facilior fuerit intellectu, quam nobis sit. Particulam δέ *autem*, uti ea Caput XV cum superiori connectit, sic transitioni ad huius loci argumentum inservire, nemo est, qui ignoret. Nomine ἀδελφοί, *fratres*, Apostolus lectores suos compellare videtur, ut eos praeparet ad reprehensiones, quas iam in mente habet, leniter ferendas. Similiter Cap. I: 10, 11. III: 1. IV: 6 etc. De eo autem Viri Docti inter se disceptant, quid εὐαγγέλιον significet. Nonnulli, quibus calculum adiecerunt HEYDENREICHIUS et RÜCKERTUS, hoc explicant *doctrinam* seu *notitiam mortis* CHRISTI *eiusque reditus in vitam*. Sed nexum orationis non assecuti vocabulo illi notionem affinxerunt tam ab hoc loco, quam ab usu loquendi

alienam. Recte igitur MEYERUS et WETTIUS [1]), etiam provocando ad formulam ἐν πρώτοις vs. 3, vulgarem probarunt sententiam. Utique ab auctoris mente haud longe discedemus, si nobis generatim *nuncium* proponimus *salutis Divinitus per* CHRISTUM *consequendae*. Quae autem verbis τὸ εὐαγγέλιον adiecta sunt: ὃ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, non aliter interpretari ausim quam *quod annunciavi* vel *praedicavi vobis*, ut in Vulgata Latina legitur. Eodem modo Graecum εὐαγγελίζεσθαι reddendum est, ubi sibi adiunctum habet vocabulum εὐαγγέλιον vel aliud, quod *rem laetam* denotat. Cff. 2 *Cor*. XI: 7. *Luc*. II: 10. *Act*. XIII: 32. *Eph*. II: 17. Hanc dicendi formulam in sermonem vitae communis, Hellenistis usitatum, importarunt Interpretes Alexandrini Veteris Testamenti, pro verbo בשׂר, etiam ubi ei adiunctum est טוב vel simile quid, scribentes εὐαγγελίζεσθαι. Vid. 1 *Sam*. XXXI: 9. 1 *Reg*. I: 42. *Psalm*. XCVI: 2. *Jes*. LII: 7. LX: 6. Et sic quidem verbo illi maiorem vim tribuerunt, quam in Codice habet Hebraeo. Sed hoc haud sine ulla causa factum est. Nam, quidquid monuerunt Lexicographi, in V. T. nusquam legimus בשׂר, nisi in locis, in quibus *res laeta* memoratur, uti etiam 2 *Sam*. IV: 10. XVIII: 20, 26. Ipsum tamen verbum *laetum illud* non indicare, intelligimus tam ex adiunctis, quam hinc etiam, quod 1 *Chron*. XVI: 23 pro בשׂרו Interpres habet ἀναγγείλατε. Ergo nihil aliud superest quam Latine scribere *annunciare* vel *praedicare*, quemadmodum hac in PAULI oratione Interpres Syrus scripsit ܕܣܒܪܬܟܘܢ.

Iam tria PAULUS praecedentibus adiunxit, ut fructus ostenderet, *Corinthi* ex *Euangelii* annunciatione profectos. Primum: ὃ καὶ παρελάβετε convenit cum Latino: *quod etiam accepistis*, uti *Joann*. I: 11. *Gal*. I: 9. 1 *Thess*. II: 13 et in ceteris N. T. locis, quotquot

[1]) *Kurze Erklärung* cet.

Euangelium spectant, sive hoc vocabulum ibi legitur, seu aliud. Particula καί inservit ad indicandum, illud *non solum* annunciatum, *sed etiam* acceptum esse. Inde autem, quod ea bis repetita est, quisque intelligit *gradationem*, quae hac in animata oratione cernitur. Ergo altero, quod hîc exstat: ἐν ᾧ καὶ ἑστήκατε, lectores sublimius feruntur. Verbum ἑστήκατε formam habet Perfecti, notionem Praesentis *statis*, quod reapse eodem redit ac *constituistis vos*. Minus recte nonnulli cum BEZA [1]) vim Perfecti urgent, alii, uti SLICHTINGIUS [2]), hoc per Enallagen pro Praesenti positum esse contendunt. Eodem modo Perfectum sumendum est *Joann.* VI: 22. *Act.* XXVI: 6. *Rom.* V: 2 al. [3]) Quibus ex locis etiam apparet, huius loci sensum esse: *cuius in communione*, i. e. fide et professione, *etiam perseveratis*. His autem verbis, nisi auctori mentem affingere velis alienam, cave, ne cum ESTIO [4]) adiungas: *tametsi non omnes*, vel simile quid. Neque audiendi tamen sunt CHRYSOSTOMUS aliique Patres Graeci, qui PAULUM *omnibus laudem* tribuisse monuerunt, quod ignorantiam vacillationis nonnullorum simularet [5]). Omnes, nempe, de eo inter se consenserunt, ipsum CHRISTUM ex morte in vitam rediisse, et hactenus certe in fide manserunt. His igitur Apostolus quoque scripsit: δι᾽ οὗ καὶ σώζεσθε, quae verba Editio Recepta longius, quam par est, a praecedentibus seiunxit et ad versum sequentem retulit, quum tertium hoc orationis gradatim proce-

---

1) *Annot. in N. T.* ad h. l.

2) *Commentar. posthuma in plerosque N. T. libros* ad h. l.

3) Cf. GURLITT ad h. l.

4) Similiter ARETIUS, GROTIUS, MEBIUS, etiam auctor Anonymus *Novi Testamenti cum scholiis Theologicis et Philologicis*. Lond. in aedib. Valp. 1816.

5) Huic commento, quod etiam placuit SEMLERO, *Paraphrasis in primam* PAULI *ad Corinth. Ep.* cet. ad h. l. RÜCKERTUS jure meritoque se opponit. Cff. disputat. p. 4 sqq.

dentis membrum pari intervallo ab altero abesse debeat atque alterum a primo. PAULUM Praesenti pro Futuro usum esse GROTIUS aliique voluerunt, beatitatem vitae post mortem hic proponi putantes. Hinc minus longe discedunt, quam discedere videntur, qui, uti MEYERUS, tempora quidem inter se permutari negant, sed Praesenti significari contendunt, futuram in *Messiae* regno beatitatem *certam* esse. Credere vero non possum, Apostolum hominibus, quorum nonnulli ad spem immortalitatis erigendi essent, scripsisse: *per quod etiam beatitatem nacturi estis*, vel *per quod etiam certa nunc est vestra destinatio ad beatitatem in regno Messiae nanciscendam*. Quidni, vim Praesentis retinentes, interpretemur: *per quod etiam ad beatitatem perducti estis?* Argumento nobis sunt 1 *Cor.* I. 18. 2 *Cor.* II. 15 aliique loci, ubi vis illa retinenda videtur. Cff. *Rom.* VIII. 24. *Eph.* II. 5, 8. 2 *Tim.* I. 9, etiam *Hebr.* VII. 25. Et huic iudicio pondus fortasse et momentum adiicit sequens *κατέχετε*. Itaque praedicatur omne illud salutare, quod in Corinthios, superstitionis et vitiositatis iugo liberatos, iam ex CHRISTI communione redundare coepit.

Sed quaestio est, quomodo haec cohaereant cum sequentibus: *τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε*. Ad hanc vero ut respondeatur, explorandum est, quid verbo *γνωρίζω* denotetur. Iam CHRYSOSTOMUS illud interpretatus est *in memoriam revoco*; atque haec interpretatio, a THEODORETO, OECUMENIO [1]), THEOPHYLACTO [2]) probata, se ad nostra tempora ita propagavit, ut BOSVELDIUS, GURLITTUS, FLATTUS, HEYDENREICHIUS, OLSHAUSENIUS, OSIANDER eam sequerentur. Sed hanc notionem verbo illi, contra loquendi usum, affinxerunt, ne inepte post se habere

---

[1]) *Comment.* ad h. l. Par. 1630.

[2]) *Comment. ad* h. l. Opp. Tom. II. Ven. 1755.

videretur τὸ εὐαγγέλιον. Eodem consilio, ab aliis dissentiens, BEZA scripsit *declaro*, COCCEIUS *palam pronuncio*, itidemque *clarum facio*. Nuper PALMIUS Graeca sic reddidit: *Notam vobis commonstro Euangelii* [1]). Recte quidem RÜCKERTUS, MEYERUS, WETTIUS verbum γνωρίζω interpretantur *notum facio;* sed huic interpretationi tales subiiciunt admonitiones, ut ipsi eam magis minusve infringant. In omnibus, nempe, Novi Testamenti locis, ubi verbum illud exstat, *res* proponitur *incognita* [2]). Quid vero, nisi PAULO aliena obtrudere velimus, hinc sequitur aliud, quam eum hîc quoque *rem incognitam* proposuisse?

Atque ita quidem cadit sententia plerorumque interpretum, quam suam etiam fecerunt RÜCKERTUS, MEYERUS, WETTIUS, OSIANDER, verba: τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, εἰ κατέχετε sic transponenda esse: εἰ κατέχετε, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν. Hac enim sententia probata, verbum γνωρίζω nullum aliud, quocum iungatur, habet nomen, quam sequens εὐαγγέλιον. *Euangelium* vero, quum *Corinthi* non *incognitum*, sed *cognitum* esset, PAULUS scribere non potuit, se illud lectoribus suis *notum facere*. Ipsa quoque Traiectio insolens est et sine ullo, quantum novi, exemplo. Nam loci, ad quos Viri Docti provocant: *Ioann.* VIII: 25. *Act.* I: 2. *Rom.* VIII: 3. 1 *Cor.* XIV: 7, 9, 37. XV: 12, 19, vel eam non admittunt, vel plane sunt dissimiles. Ergo quod iam monuit CREL-

[1]) *De Bijbel*, ad h. l.

[2]) Etiam *Phil.* I: 22, si vel Graeca οὐ γνωρίζω ibi reddenda sunt *ignoro*, quod MULLERUS, *Commentatio de locis quibusdam Ep. Pauli ad Phil.* p. 20, tueri conatur, aut *non agnosco*, quod WETTIO ad h. l. placet et fulciri potest auctoritate *Test. Aser.* cap. 6. apud FABRIC. *Cod. Pseudep.* V. T. Tom. I. p. 695, ubi legimus: γνωρίζοντες τοὺς ἀγγέλους Κυρίου καὶ του Σατανᾶ. Equidem non amplius scripserim, ut in *Comment. perpet.* ad h. l. *non dico;* sed, si ferri nequit interpretatio *notum non facio*, hic locus ab omnibus aliis differt Novi Testamenti locis, in quibus verbum γνωρίζω exstat.

LIUS, verba τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν sequentibus praeposita esse, ut grave eorum pondus sentiretur, mera est coniectura, omni argumento probandi carens. Quod autem alii contendunt, traiicienda esse εἰ κατέχετε, ut cum superioribus: δι' οὗ καὶ σώζεσθε coniungi possint, pendet a quaestione, an nexus ille revera auctoris in mente fuerit. Ex his intelligitur, fieri quoque posse, ut, cum GRIESBACHIO, SCHOLZIO, OLSHAUSENIO etiam, verba: τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, εἰ κατέχετε in Parenthesin coniiciamus. Sed huic distinctioni insuper plus una obstat difficultas. Nam sic quidem longior intercedit oratio, quam ut sequentia: ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῆ ἐπιστεύσατε cum praecedentibus: δι' οὗ καὶ σώζεσθε commode coniungi possint. Deinde PAULUS vs. 3, 4 perspicue declarat, se iam supra viam commemorasse, quam in tradendo Euangelio secutus esset, quum *Corinthi* versaretur; atqui ratiocinationis turbatur series, si haec commemoratio in Parenthesi ponitur. Multo longius vero JEHNIUM et KRAUSIUM [1]), hac Traiectione commendanda: Γνωρίζω, εἰ κατέχετε, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ εὐαγγέλιον, ὃ εὐηγγελισάμην ὑμῖν cet. ab auctoris mente aberrare, hinc iam apparet, quod verbum γνωρίζω, contra omnem loquendi usum interpretantur *certior fieri velim* vel *scire cupio:* ne dicam, versum 3, si praecedat *certior fieri velim*, vel *scire cupio, an teneatis*, sic explicari non posse, ut cum vers. 1 et 2 bene cohaereat.

Quae quum ita sint, meliorem sine dubio viam ingressi sunt interpretes, qui verba εἰ κατέχετε loco suo relinquunt. Nec plerique tamen id, quod verum est, omnino assecuti esse videntur. Nam si cum GURLITTO hanc esse dicimus orationis structuram: Γνωρίζω ὑμῖν, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ εὐαγγέλιον, ὃ—σω-

[1]) *Pauli ad Corinth. Epistolae Graece, perpet. annot illustr.* ad h. l.

ζεσθε, εἰ κατέχετε, ex ejus opinione sumere cogimur, PAULUM formulas arctissime cohaerentes δι' οὗ καὶ σώζεσθε et εἰ κατέχετε, a se mutuo avulsisse, interponenda tertia τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην, quae, utpote praecipua, ab orationis initio stare deberet. Tum probari nequit structura, quae verba εἰ κατέχετε sic explicari iubet, ut praecedentia ἐν ᾧ καὶ ἑστήκατε iis valde extenuentur. Quod, ut monuerunt RÜCKERTUS et MEYERUS, BILLROTHI etiam et HEYDENREICHII labefactat sententiam, eodem fere tendentem. HEYDENREICHIUS autem temere Particulam εἰ et sequentem Indicativum vertendo reddidit: *dummodo* (*id.* scil. *Euangelium*) *tenueritis*. Ceterum vero Interpretes illi aliique [1]) propterea reprehendendi non esse videntur, quod verba τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν referunt ad praecedens γνωρίζω. Sed eo, nisi fallor, referri quoque debent verba: τὸ εὐαγγέλιον — σώζεσθε. Nimirum huius sententiae sum, PAULUM, convenienter sermoni vitae communis, minus accurate scripsisse: *Notum vobis facio Euangelium, quod annunciavi vobis* etc. sed hoc continuo correxisse eo sic explicando: τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν. Eodem plane modo Gal. I: 11 verbo γνωρίζω subiicit τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ; tum vero mentis suae explicandae causa scripsit: ὅτι οὐκ ἔστιν κατὰ ἄνθρωπον, seu *nempe hoc mihi volo, illud non esse ad hominum placita accommodatum*. Similiter 1 *Cor*. XIV: 37: ἐπιγινωσκέτω ἃ γράφω ὑμῖν, ὅτι Κυρίου εἰσὶν [ἐντολαί]. i. e. *nempe illa a Domino esse praescripta*. *Eph*. VI: 21: ἵνα εἰδῆτε τὰ κατ' ἐμέ, τί πράσσω. i. e. *nempe, quid agam*. Cff. *Marc*. I: 24. XII: 34. *Luc*. XIX: 3. *Ioan*. XI: 31. 1 *Cor*. I: 26. 1 *Thess*. II: 1 et quod infra vs. 12 legimus. Apud scriptores Graecos nihil frequentius est quam hu-

---

1) Cf. ESTIUS, imprimis BENGELIUS in *Gnomone* ad h. l.

iusmodi Attractio, etiam ubi verbum γνωρίζω vel simile legitur. Ita AESCHINES *adv. Timarch.* [1]): ἵνα γνωρίσητε αὐτὸν, ὅστις ἐστι. SOCRATES apud PLATON. [2]): ὁπότε τὸ δίκαιον μὴ οἶδα ὅ ἐστι. PLUTARCH. [3]) τόδε τὸ φώνημα γνωρίζειν, ὅτι τοῦ Φώκου εἴη. ISOCRATES [4]): Πειρῶ γνωρίζειν τοὺς λέγοντας, ὁποῖοι καὶ τίνες εἰσί [5]). Ergo interpretatio verborum τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν negotium mihi non facesseret, si satis certa esset notio formulae τίνι λόγῳ. Ad hanc autem notionem constituendam haud pauci magis coniecturas attulerunt ex ingenio petitas, quam rationes, quae loquendi usu nituntur. Nec lucem tamen praebent oratio PETRI *Act.* X: 29 aliique loci similes a WETSTENIO [6]) et KYPKIO [7]) excitati. Talia enim sunt verba τίνι λόγῳ, ut non aliter fieri possit, quin pro diversitate causae, quae agitur, eorum etiam differat significatio. Huic loco maxime accommodatum videtur scribere: *quanam oratione*, quod iam olim nonnullis placuit interpretibus, recentiori memoria RÜCKERTO, MEYERO, WETTIO. Neque ullum relinquetur desiderium, si hoc eodem redire dixeris ac *quanam docendi ratione*, quippe quo et notio observatur vocabulo λόγος haud raro tribuenda, et narratio sequens (vs. 3.) praeparatur.

Quaestio tantum est, an hanc interpretationem ferant subiecta εἰ κατέχετε. Latissime se propagavit sententia CHRYSOSTOMI, PAULUM sibi voluisse: *Si hanc do-*

---

[1]) p. 6. *Steph.*

[2]) *Republ.* I. p. 354. *Steph.*

[3]) *Moral.* p. 775. *Xyl.*

[4]) Locum exhibet STEPHANI *Thes. linguae Gr.* edd. HASIO et DINDORFIIS. V. γνωρίζω.

[5]) Cff. FRITZSCH. *comm. perp.* ad *Marc.* 1: 24. XII: 34 et WINERUS, *Grammatik des neutestam. Sprachidioms.* Ed. V. p. 606.

[6]) *Nov. Test. Gr.* ad *Act.* X: 29 et 1 *Cor.* XV: 2.

[7]) *Observ. Sacr. in N. T. libros* ad *Act.* X: 29, ubi temere confunduntur formulae τίνι λόγῳ et ἐπὶ τίνι λόγῳ. Eundem errorem commiserunt PALAIRETUS, *Observ. Phil.-Crit. in Sacr. N. T. libros* aliique.

ctrinam reditus mortuorum in vitam, vel *si Euangelium firmiter tenetis*. Illud vero propterea improbabile est, quod vs. 12 demum PAULUS *reditum mortuorum in vitam* commemorare incipit; hoc autem a me non impetrare possum, ut ab eodem homine profectum esse credam, qui paulo superius scripserit: ἐν ᾧ καὶ ἑστήκατε. Nec multo magis arridet sententia WOLFII [1]) aliorumque, auctoris mentem fuisse: *si memoria illud retinetis*. Nam, nisi in Traiectione, supra jam refutata, praesidium quaerimus, dictum tale ab hoc loco alienum est, ut sua sponte intelliget quisque, qui animum ad praecedentia: *notum vobis facio Euangelium* attenderit. Quid igitur? An cum ERASMO coniiciemus, pro recepto εἰ κατέχετε legendum esse ἦ κατέχετε *certe tenetis*, vel ᾗ κατέχετε *sicut tenetis?* Vel an calculum adiiciemus scriptioni ὃν κατέχετε, apud BOWEYERUM [2]) propositae? Mihi in mentem venit facillima mutatio Particulae *EI* in Pronomen *TI*, ut haec duo τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν et τί κατέχετε per Asyndeton subiiciantur uni *notum facio vobis*. Sed, quamvis bene monuit SEMLERUS, in libris antiquis esse, qui ab Editione Recepta discedant, huius tamen mutationis nullam alicubi reperi indicium. Tum coniecturis criticis non opus esse videtur, dummodo formulam εἰ κατέχετε ad praecedentia: γνωρίζω ὑμῖν, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν referamus; quae structura facillima est. Nihil enim impedit, quominus illud *si mente tenetis*, uti Graeca in sermonem Latinum vertenda sunt, exponamus: *si curae vobis cordique est*. Cff. *Luc.* VIII: 15. 1 *Cor.* XI: 2. *Hebr.* X: 23, ubi verbum κατέχειν coniunctum est cum vocabulis λόγον, παραδόσεις, ὁμολογίαν. PAULUS igitur sibi voluit: *si curae vobis cordique est, quod nunc dico,*

---

1) *Cur. Phil. et Crit.* ad h. l.

2) *Konjekturen über das N. T.* u. s. w. *bereichert von* J. C. F. SCHULZ ad h. l.

nota vobis fiet docendi ratio, qua Corinthi usus sum. Quod orationi suae addidit lectorum causa, qui gravissimum in errorem de mortuorum reditu in vitam lapsi erant. Breviloquentia tamen factum est, ut formula εἰ κατέχετε minus penderet ab ipsa enunciatione: γνωρίζω ὑμῖν, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, quam a notitia ejus, quod hac enunciatione ad Corinthios perferebatur.

Postrema ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε nonnihil habent ambiguitatis propter vocabulum εἰκῇ, quod alii interpretantur *sine causa*, alii *sine effectu* seu *fructu*. Illud e. c. requiritur *Rom.* XIII: 4, hoc *Gal.* IV: 11. Utrumque in orationem quadrat, cuius interpretatio nunc agitur. At magis commode tamen formula *sine causa*, quam *sine effectu* copulatur cum verbo ἐπιστεύσατε, quo PAULUS in lectorum suorum animis renovare voluit memoriam transgressionis eorum ad societatem CHRISTI. Aoristi enim haec vis est, ut *initium* denotet *temporis* illius, *quo primum fidem habuerant* PAULO Euangelium annuncianti. Iam comparatio locorum, ubi formula ἐκτὸς εἰ μή itidem legitur [1]), uti etiam cap. XIV: 5. 1 *Tim.* V: 19, nisi fallor, docet, Apostolum dicere voluisse: *Excepto si temere fidem habuistis.* Quorum verborum explicatio inde pendet, utrum cum remotiori σώζεσθε connectenda sint, an cum proximo κατέχετε. Illud vero, quamquam MEYERO, OSIANDRO et plerisque interpretibus placet, sponte sua corruit, si probavimus, nec Traiectionem hîc, nec Parenthesin ferri posse. Itaque hoc, quod simplicitate sua se commendat, tenendum est. Neque ulla restat difficultas, si mens auctoris sic explicatur: *curae vobis cordique non est, si vos temere fidem habuisse opinemini.*

---

1) Cf. KYPKIUS ad h. l.

Vers. 3, 4.

Quamnam docendi rationem ingressus sit, quum *Corinthiis* Euangelium annunciaret, PAULUS nunc explicare incipit scribendo: *Παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις* etc. Particulam *γάρ*, nulla causa est, cur FLATTUS, WETTIUS aliique interpretentur *nempe*, a vulgari *nam* discedentes. Formulam autem *ἐν πρώτοις* pauci tantum recte intellexisse videntur. Iam CHRYSOSTOMUS, ea denotari volens *ἀπ᾽ ἀρχῆς, οὐ νῦν*, proposuit, quod et in loquendi incurrit usum, et in huius orationis seriem. Eiusdem generis est illud PELAGII *in primordio*, cui tamen adiecit *sive maxime*, se ancipitem haerere significans. Multo minus rem acu tetigit RÜCKERTUS [1]), hanc mentem PAULO tribuens, *Corinthios inter primos fuisse, quibus Euangelium annunciaret.* Hanc vero interpretationem historiae, ut bene monuit MEYERUS, repugnantem et ab ipso eius auctore, SEMLERO, iam improbatam, tanti non habuit, ut Adiectivum *πρώτοις* Neutrum esse posse negaret. Suspicatus tamen est, Apostolum, si memorare vellet, quid *primum* cum Corinthiis communicasset, Pronomine proxime praecedenti *ὑμῖν* non usurum, et scripturum quoque fuisse *τοῦτο πρῶτον*. Sed illud nullius ponderis est, quoniam Pronomen *ὑμῖν* hic haud magis quam versu 1 inservit ad Corinthios ab aliorum locorum incolis distinguendos; hoc vero, uti non tuetur sententiam ab eo propositam, ita tantum reapse valet, ut leviter agere ostendat, qui Graeca *ἐν πρώτοις* vertendo reddant *primum*. Atque hinc iam sequitur, assentiendum quoque non esse HEYDENREICHIO monenti:,, *Ἐν πρώτοις* significari tum, Paulum institutionis initium a doctrina de morte et

---

[1]) *Einleitung.* p. 11 et ad h. l.

resurrectione CHRISTI fecisse; tum, nihil hac doctrina proponenda ipsi fuisse antiquius, nihil sanctius." Sine dubio unam hujus formulae retinere debemus notionem *in primis*, quod tamen quum MEYERUS explicet *inter praecipua doctrinae capita*, haud secus a vero aberrat quam GROTIUS, CRELLIUS, ESTIUS, HAMMONDUS multique alii, qui Apostolum hoc vel simile quid dicentem fecerunt [1]). Nimirum, ut bene monet ARETIUS, in religione quaedam esse πρῶτα, quaedam δεύτερα, sic PAULUS nunc recenset partem eorum, a quibus proponendis *Corinthios* docere incepit. Similiter *Athenis* (*Act.* XVII: 31), a locis communibus ad Euangelii doctrinam progressus, CHRISTI et mortem, et reditum in vitam annunciavit, quasi fundamentum ponens eorum, quae deinceps tractaturus fuisset, nisi levissimi homines ei aures diutius praebere recusassent. Item *Antiochiae* in *Pisidia*, quum eius oratio ad IESUM, DAVIDIS filium, delata erat (*Act.* XIII: 25 sqq.), initium fecit ab iisdem doctrinae capitibus in luce collocandis. Neque aliter PETRUS *Hierosolymis* (*Act.* II: 22 sqq. III: 13 sqq. IV: 10. V: 30 sqq.) et *Caesareae* (*Act.* X: 39 sqq.) egisse dicitur [2]).

---

[1]) Adiectivum πρῶτος satis crebro usurpatum est ad *praecipuum* denotandum, uti praeter alios docet SCHWEIGHÄUSER in *Lex. Polyb.* p. 546, quamquam omnibus, quibus utatur, exemplis non eadem probandi vis inest. Cff. quae ipse notavit Tom. V. p. 262, 263. Idem usus extat in N. T. Vocabulo tamen hanc notionem habenti scriptores eius Articulum praeponere solent. Vide *Marc.* VI: 21. *Luc.* XV: 22. XIX: 47. *Act.* XIII: 50. XVII: 4. In PAULI Epistolis tantum legitur Singulare, et ita quidem 1 *Tim.* I: 15, ut Viri Docti fere omnes assentiantur interpreti nostro vernaculo, qui Graeca ὧν πρῶτός εἰμι vertendo reddidit *van welke ik de voornaamste ben*, quod nuperrime etiam probavit WIESINGER, *Die Briefe des A. Paulus an die Philipper* cet. ad h. l. Sed Adiectivo πρῶτος notionem *praecipui* tribuere huic Apostolo receptum non est. Ubique eo significat *primum*, uti *Rom.* X: 19. *Eph.* VI: 2. *Phil.* I: 5. 1 *Tim.* II: 13. Quidni igitur hoc loco verba eius interpretemur: *quorum primus sum*, ut se, in loquendi usu sibi constans, primum ἁμαρτωλῶν appellaverit, quippe qui sectatoribus CHRISTI duriter insectandis et vexandis alios praecessisset?

[2]) Ad *Hebr.* V: 12. VI: 1, 2 cum BENGELIO, OLSHAUSENIO multisque aliis provocare non ausim.

Iam ad commemoranda illa, quae *Corinthi* proposuit, PAULUS utitur verbo παρέδωκα, quod cum affinibus proprie notionem habet *rei*, quae *in alius manum traditur*, hinc vero translatum est ad *intelligibilia, quae cum alio communicantur*. Nec tantum res spectat argumenti historici, sed etiam mores, ritus, instituta, placita, cuiusvis generis doctrinas, *quae ab aliis ad alios transeunt*. Quod haud secus testantur scriptores Graeci antiquioris pariter ac recentioris aetatis [1]), quam interpretes Veteris Testamenti Alexandrini, a quibus illud acceperunt Scriptores Novi Testamenti [2]). Hi praesertim verbum παραδίδωμι et nomen παράδοσις propterea frequentarunt, quod ea, quae in medium afferebant, non ipsi invenerant cogitando, sed vel a Deo, vel ab hominibus, acceperant, ut ad alios transferrent [3]). Atque ita PAULUS cum alibi, tum hoc loco. Sed egregie falluntur, qui cum CRELLIO putant, Apostolum verbo παρέδωκα usum esse, ut significaret quod *viva voce, sine scripto* tradidisset. Quamquam enim HESYCHIUS vocabulum παράδοσις exposuit ἄγραφος διδασκαλία [4]), ipsi tamen veteres huius definitionis auctores non fuerunt. Quid evidendentius, quam POLYBII [5]) verba: Σχεδὸν δὴ πάντες οἱ συγγραφεῖς περὶ τούτων ἡμῖν τῶν πολιτευμάτων παραδεδώκασι τὴν ἐπ' ἀρετῇ φήμην? Quemadmodum autem hîc verbum παραδίδωμι traditionem significat *scripto propagatam*, sic ad eandem referendum est, quod auctor alibi scripsit: ὑπολαμβάνοντες οἱ-

---

1) PLATO in *Philebo* Tom. II. p. 16 *Steph. Aurea carmina*, PYTHAGORAE adscripta. vs. 47. *Diod. Sic. Bibl.* Lib. I cap. 24. Plura dabit *Stephani Thesaur.* ed. ab HASIO et DINDORFIIS.

2) Vide REINHARDI *Opusc. Acad.* V. I. p. 201 sqq.

3) Hactenus tota Doctrina Christiana est παράδοσις, ut bene monet STUFFKEN, *Verhand. uitgeg. door* TEYL. *Godg. Gen.* T. XXXIII. p. 16.

4) *Glossae Sacrae.* Ed. ERNESTIO. p. 220, ubi HESYCHII interpretatio temere defenditur.

5) *Hist.* Lib. VI. Cap. 43.

κεῖον ἱστορίας ὑπάρχειν, τὰ τοιαῦτα ἐπεισόδια τῆς τύχης εἰς μνήμην ἄγειν καὶ παράδοσιν τοῖς ἐπιγενομένοις [1]. Similiter in Novo Testamento non solum hoc, ut iam monuit COCCEIUS, sed illud etiam inservit ad *scriptam* traditionem denotandam. Cff. *Act.* VI: 14. 2 *Thess.* II: 15. Et quamquam ea ibidem variis in locis rem spectant *voce* tantum traditam, ipsa tamen, nec 1 *Cor.* XI: 2, nec *Iud.* 3, neque alibi, hanc vim habent, ut copiam praebeant traditionis *voce* propagatae a *scripta* distinguendae. Mirandum igitur non est, scriptores Ecclesiasticos utroque haud raro usos esse ad indicandam traditionem *scriptam*, hinc vero si traditionem *auribus acceptam* discernere vellent, eam *ἄγραφον* appellasse [2]. PAULUS autem verbis: *Tradidi enim vobis inter prima, quae proponebam, capita*, opportune adiunxit: *ὃ καὶ παρέλαβον*, *quod etiam accepi*, ut hoc etiam loco *παραλαμβάνειν* sit velut *ἐκ παραδόσεως λαμβάνειν* [3]. Quaestio tamen est, unde se hoc accepisse voluerit, ad quam pauci cum ROSVELDIO respondent: *ab hominibus*; GROTIUS: *ab* ANANIA *primum, deinde et ab Apostolis, accedente forte et speciali revelatione, ut diximus supra* XI: 23. Similiter iam PELAGIUS. BULLINGERUS autem: *ex Spiritu Dei*, quod paulo inferius explicat: *ex scripturis, quae instinctu Sancti Spiritus nobis allatae sunt.* Plerique vero, quibus assentiuntur etiam OLSHAUSENIUS, RÜCKERTUS, MEYERUS, WETTIUS, PALMIUS, OSIANDER, intelligi iubent *a* CHRISTO. Sed in omnibus, quantum memini, locis Novi Testamenti verbum *παραλαμβάνω*, si nomen aucto-

---

[1]) Ibid. Lib. II. Cap. 35.

[2]) CLEM. *Alex. Strom.* Lib. V. Cap. 10. Tom. II. 682, 683. POTT. EUSEBIUS, *Hist. Eccles.* Lib. III. Cap. 9, 10, 24, 39. IV. 8, 22. Cf. HEINICHEN. Tom. I. p. 247. Multa alia congessit SUICERUS, *Thes. Eccles.* V. *παράδοσις*.

[3]) SCHWEIGHÄUSER. *Lex. Polyb.* p. 436.

ris ei non adiectum est, significat id, quod tradiderunt *homines*, uti *Marc.* VII: 4. *Gal.* I: 9, *Phil.* IV, 9, etiam supra vs. 1. Deinde hac in oratione verbum illud, per particulam *ὅτι*, coniunctum est cum commemoratione rerum, quae ab hominibus tantum acceptae esse censendae sunt: JESUM, nempe, post mortem sepultum esse, et primum CEPHAE, tum duodecim discipulis suis apparuisse. Quid? quod etiam Particula *καί*, Verbo *παρέλαβον* praeposita, postulare videtur, ut hanc PAULO tribuamus mentem: *quod ab aliis haud secus accepi, quam vos illud accepistis a me* [1]). Et tanti quidem ponderis haec argumenta esse censeo, ut labefactari non possent, etiamsi Viri Docti, qui ex 1 *Cor.* XI: 23 et *Gal.* I: 12 contrariam in partem disputant, locos illos bene intelligerent. Sed verba *ἐγὼ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου*, quidquid WETTIUS aliique dicunt, ferre non posse interpretationem: *Ego accepi a Domino*, luculenter apparet inde, quod, et apud Graecos, si auctorem, a quo aliquid accipitur, proponere volunt, ubique Particula *παρά*, nusquam *ἀπό* Verbum *παραλαμβάνω* sequitur, et PAULO quoque, idem illud agenti, scribere usitatum fuit *παραλαμβάνω παρά τινος*, uti 1 *Thess.* II: 13, IV: 1. Praeterea sequentibus *ὅτι ὁ Κύριος Ἰησοῦς* indicium inest, narrationem, iis subiectam, *alii* vel *aliis* deberi, quam *Domino supra memorato;* quem si Apostolus rei traditae auctorem dicere voluisset, non dubito, quin scripturus tantum fuisset *ὅτι ἐν* vel *ὅτι αὐτὸς ἐν*. Cff. *Matth.* XVI: 20. *Luc.* XXIV: 21, 39. Ceterum si Graeca interpretamur: *Vos enim quicunque laudant, laudare non*

---

[1]) Nequidquam igitur FLATTUS, *Bemerkungen über einige Stellen des ersten Briefes an die Korinthier*, in *Magazin für Christl. Dogm. und Mor.* Part. V. p. 258 sqq. disputavit pro opinione, PAULUM commemorasse id, *quod partim a* CHRISTO, *partim ab Apostolis aliisque hominibus accepisset.*

possum ego, qui accepi a parte Domini, oratio nihil habet, quod frigeat, aut alia de causa in reprehensionem incurrat [1]. In altero loco PAULI verba δι᾽ ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ explicanda non sunt: *per patefactionem, quam* IESUS CHRISTUS *mihi dedit* [2], sed cum THEODORETO paucisque aliis: *inde, quod Divinitus mihi* IESUS CHRISTUS *patefactus est.* Hanc enim explicationem uti postulat nexus ratiocinationis usque ad vs. 15, 16, ubi scribens Apostolus: "Ὅτε δὲ εὐδόκησεν [ὁ Θεὸς] ἀποκαλύψαι τὸν Υἱόν αὐτοῦ ἐν ἐμοί, perspicue docuit, quid supra sibi voluisset; ita confirmant loci satis multi, in quibus vocabulum ἀποκάλυψις *Genitivus*, non *subiecti*, sed *obiecti* sequitur, cuius numeri aeque esse puto *Rom.* VIII: 19. 1 *Cor.* I: 7. 2 *Thess.* I: 7. 1 *Pet.* I: 7, 13, ac *Rom.* XVI, 25 et 1 *Pet.* IV: 13. Sed hoc nunc mitto, ne in longiorem excurram disputationem. Unum est, quod silentio praeterire nolim, PAULUM, nempe, hîc scripsisse: ὃ καὶ παρέλαβον, ut pondus adiiceret iis, quae antea Corinthiis tradidisset.

Quid vero PAULUS, uti ipse acceperat, ita tradidit Corinthiis? Primum haec memorat: ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφάς. In Allegorica huius loci non morabimur interpretatione, quam et Manichaei olim commendasse feruntur, et

---

[1]) Cff. praeter alios SCHULZUIS, *die Christl. Lehre vom heil. Abendmahl.* II. Aufl. p. 215 sqq. WINER. p. 443 sqq. et quae haud ita pridem disputavi in libro: *De leer van den Doop en het Avondmaal op nieuw onderzocht* cet. p. 113, 114.

[2]) Sic etiam recentissimi OLSHAUSENIUS, MEYERUS, WETTIUS, item USTERI, *Commentar über den Brief Pauli an die Galater* et SARDINOUX, *Commentaire sur l'Épitre de l'Apotre Paul aux Galates;* nec grave tamen, quo se tueantur, argumentum in medium afferunt. Dubitanter mentem enunciarunt BORGERUS, *Interpr. Ep. Pauli ad Galatas* et WINERUS, PAULI *ad Galatas Epist. Latine vertit* etc. Sed cf. VAN BELL, *Disp. Theol. de patefactionis Christianae indole, e vocabulis ΦΑΝΕΡΟΥΝ et ΑΠΟΚΑΛΥΠΤΕΙΝ in libris N. T. efficienda.* p. 101, 102.

CHRYSOSTOMUS aliique Patres Ecclesiae satis superque refutarunt. Hodie nemo dubitat, quin Apostoli verba proprie accipienda sint, sed quomodo ea intelligi debeant, operae pretium erit ostendere.

Verba ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν BOSVELDIUS formulam continere monet, quae ad huius loci quaestionem non pertineat, sed ab auctore orationi inserta sit, pro more suo identidem ad illud, quod magni haberet, obiter redeundi. Hanc vero quum sententiam diceret, vir ingeniosus minus animadvertit, eadem verba in omnibus PAULI epistolis frustra quaeri. Quod caussam fuisse arguit satis gravem, cur Apostolus iis hîc uteretur. Et sane, si nihil aliud scribere voluisset, quam: ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν, supervacaneum fuisset ei praeponere ὃ καὶ παρέλαβον, quoniam, ut iam monuit CHRYSOSTOMUS, mors CHRISTI vulgo cognita erat atque testata. Adiecta vero ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, quippe hominum opinionibus superiora, argumentum praebuerunt ad aliorum auctoritatem provocandi. Haec autem cave credas eodem plane redire ac similia περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, quae GRIESBACHIUS aliique Editores PAULO *Gal.* I: 4 restituerunt. MEYERUS in discrimine inter Praepositiones περί et ὑπέρ valere ait monitum BUTTMANNI: *Id unum interest, quod περί usu frequentissimo teritur, multo rarius usurpatur ὑπέρ, quod ipsum discrimen inter Lat. praep.* DE *et* SUPER *locum obtinet* [1]). Et vulgo sumunt Viri Docti, veteres eas inter se permutasse [2]). Quod nemo mirabitur, qui apud animum reputaverit, et utramque haud raro ad eandem rem referri, et librarios alteram saepe pro altera substitu-

---

[1]) BUTTM. *Ind. ad Midianam.* p. 188. Quod probavit SCHAEFER, *Apparat. Crit. et Exeg. ad Demosth.* Tom. I. p. 189, 190.

[2]) Etiam BERNHARD. *Wiss. Synt. der Griech. Sprache.* p. 261. MATTHIAE, *Ausf. Griech. Gramm.* III. Aufl. p. 1382. USTERI quoque l. c. p. 122 Particulas διά, περί et ὑπέρ *Rom.* IV: 25. VIII: 3 et 1 *Cor.* XV: 3 eodem redire contendit.

isse. Sed hactenus inter eas interesse videtur, ut altera (περί) usurpetur, ubi aliquid *rerum vel personarum causa* tantum fieri dicitur, altera (ὑπέρ) vero, ubi fieri dicitur, *quod in eas confertur* vel *collatum est*. Unum alterumque exemplum petamus ex N. T. Ergo verba: Περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, 1 *Petr.* III: 18, sic interpretor: *Peccatorum causa passus est, iustus ut prodesset iniustis*, quod quale sit, explicant sequentia ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ. Ita etiam quod legimus *Eph.* VI: 18, 19: δεήσει περὶ πάντων τῶν ἁγίων, καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ explicandum censeo: *precatione omnium, qui in* CHRISTI *communione sunt, sanctorum causa, et ad me juvandum*, nempe ἵνα μοι δοθῇ λόγος etc.[1]). Neque aliter iudico de locis similibus, quorum in altero reperimus περί, in altero ὑπέρ, uti *Matth.* XXVI: 28. *Marc.* XIV: 24. *Luc.* XXII: 20, ubi τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον esse tantum videtur *sanguis, qui multorum causa effunditur*; sed τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *sanguis, qui effunditur ad vestram salutem* [2]). Sed ne sic quidem amota difficultas est, quam pariunt verba ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Nonnulli ea interpretantur *ut a peccatis nostris liberaremur*, quod iam sibi voluit OECUMENIUS scribens: ἵνα ἡμᾶς τεθανατωμένους ταῖς ἁμαρτίαις ζωοποιήσῃ. Plerique, quos etiam sequuntur PALMIUS, MEYERUS, WETTIUS, OSIANDER, mentem PAULI fuisse aiunt: *ad peccata nostra expianda*. Hoc autem qui tueri conantur contendendo, Praepositionem ὑπέρ significare *in loco* [3]), notionem certe ei affingunt, quam haec oratio respuit, quum *in*

---

[1]) Cf. HARLESSUS, *Comment. über den Brief Pauli an die Ephesier* ad h. l.

[2]) Cf. WINER. p. 489. Distinctio harum Praepositionum, quae FRITZSCHIO placuit, *Comm. perp. in Matth.* p. 769, quonam argumento nitatur, minus assecutus sum.

[3]) Cf. BAUR, *Paul. der Apost.* p. 542.

homines quidem, non *in peccata* mors cadat. Rursus vero copulatio verborum *τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν* postulare videtur, ut nobis *peccatorum, quae commissa sunt*, proponamus *poenas*. Huc spectant quoque *Hebr.* V: 1, VII: 27, IX: 7,[1]) X: 12. Sed valde dubito, an imaginibus ibi reperiundis uti liceat ad hunc locum explicandum. Quamvis autem varia in mentem veniunt, quibus Breviloquentiae succurratur, nihil satius videtur quam scribere: *ut cum Deo reconciliati peccatorum nostrorum venia potiremur*. Quod ipse Apostolus 2 *Cor.* V: 18 sqq. tanquam manu monstravit. Ceterum verba PAULI *ὃ καὶ παρέλαβον* talia sunt, ut eum, scribentem *ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν*, hac de re cum aliis Apostolis consensisse ostendant.

Formulam *κατὰ τὰς γραφάς*, quae nunc consideranda est, JEHNIUS, KRAUSIUS aliique [1]) perperam interpretati sunt: *ad historiam vitae* JESU, *Literis exaratam*, vel similiter. Primum enim sic deserunt notionem *Literarum Sacrarum*, scil. *Veteris Testamenti*, vocabulis *αἱ γραφαί* ubique in Apostolorum scriptis tribuendam, si excipimus 2 *Pet.* III: 16, ubi ex interiecto *λοιπάς* intelligimus, ampliorem ea notionem habere. Deinde praecedentia *ὃ καὶ παρέλαβον* perspicue indicant, PAULUM alium commemorare non potuisse fontem, unde narrationem suam petiisset. Et si Apostolus ad scriptum aliquod de rebus JESU provocaret, nescio plane, cur

---

[1]) Verba *ὑπὲρ — — τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων* aeque ac verba PAULI *ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν* conveniunt cum iis, quae legimus apud DEMOSTH. *Olynth.* I. p. 10. REISK. *Δῆλον γάρ ἐστι τοῖς Ὀλυνθίοις, ὅτι νῦν ου περὶ δόξης, οὐδ' ὑπὲρ μέρους χώρας πολέμουσιν, ἀλλ' ἀναστάσεως καὶ ἀνδραποδισμοῦ τῆς πατρίδος*, ubi, si Particulae *ἀλλ'* cogitando subiicitur *ὑπὲρ*, mens auctoris fuisse videtur, *neque ad partem terrae possidendam bellum gerunt, sed ut avertant excidium et servitutem patriae.* In tribus illis locis, nisi fallor, Praepositio *ὑπέρ* significat id, *quod in malum confertur ad illud avertendum.*

[1]) Hoc quoque non omnino sprevit VAN VLOTEN, *de Bijbel vertaald* etc. ad h. l.

verba κατὰ τὰς γραφάς vs. 5. sqq. non repetierit [1]). Sed retulit illa vs. 3 ad IESU *mortem pro hominum peccatis*, et vs. 4 ad *reditum eius in vitam*, utpote rerum Christianarum capita, in Veteris Testamenti scriptis iam adumbrata. Ad quaestionem autem, quosnam locos PAULUS maxime ante oculos habuerit, interpretes alii aliter responderunt. Sed vanam sedulitatem hominum esse, quotquot huiusmodi locos explorare conentur, latebit neminem, qui animadverterit, Apostolum scripsisse *αἱ γραφαί* in *Plurali*, quod a *Singulari* *ἡ γραφή* caute distinguendum est. Ergo non unum alterumque, quod Vates Divini ediderant, oraculum spectavit, sed, quemadmodum *Rom.* I: 2, XV: 4. XVI: 26, universam eorum doctrinam, variis in locis tam Allegoricae, quam propriae interpretationis ope, reperiundam. Ad hanc vero doctrinam provocavit, ut testimonia humana Literarum Sacrarum confirmaret auctoritate, et vers. quidem 3, non solum CHRISTUM *mortuum esse*, sed etiam eum mortuum esse *pro peccatis nostris:* quae duo tam arcte cohaerent, ut verba κατὰ τὰς γραφάς ad utrumque referenda sint [2]).

Sequentia καὶ ὅτι ἐτάφη nihil habent, quod explicatione indigeat. Sed quoniam res ipsa loquitur, sepultum esse, qui diem obierit, quaestio est, cur hoc notaverit PAULUS. An forte, quae RÜCKERTI est sententia, ut significaret, IESUM non subiisse deliquium, sed vere mortuum esse? Eodem jam tendit monitum CALVINI, *in sepultura melius exprimi mortis veritatem*. Sed sic e longinquo petitur, quod tanquam manu tangere possumus. Videlicet mortis CHRISTI commemorationem sequi debent verba: *et eum sepultum esse*, ad intelligenda subiecta: καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ.

---

[1]) Cff. HEYDENR. et MEB. ad h. l.

[2]) Cff. ESTIUS, BENGELIUS, SEMLERUS ad h. l.

Haec autem, ut, aeque atque in simili loco *Act.* X: 40, breviter scripta sunt pro ἐγήγερται — ἐκ νεκρῶν, quod etiam ex *Rom.* IV: 24 intelligimus; sic sine dubio vertendo reddi debent: *Et eum suscitatum*, i. e. ex morte in vitam revocatum *esse tertio die*. Nam quod nonnulli, Theologiae suae servientes, contenderunt, verbo ἐγήγερται notionem simul *Passivam* et *Reciprocam* tribuendam esse [1]), tam leve et nugatorium est, ut ne refelli quidem mereatur. Melioris notae est, quod monent MEIIERUS et WETTIUS, Perfectum hic excipere Aoristum, ut res denotetur effectibus suis continuata [2]). Quaestio vero agitur, utrum formula κατὰ τὰς γραφάς tantum cum Perfecto illo connectenda sit, an etiam cum adiunctis τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Et WETTIUS, FLATTUS, GURLITTUS, multi alii huic illud praetulerunt. Sed si verba κατὰ τὰς γραφάς vs. 3 ad totam orationem praecedentem pertinere probavimus, aliter de iis vs. 4 iudicari nequit. Nec Viri Docti profecto ea, aeque ad proxima τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ atque ad remotius ἐγήγερται referre recusassent, si animadvertissent, ratiocinationem PAULI tam Allegorica, quam propria Veteris Testamenti niti interpretatione. Alia quaestio est, an formula κατὰ τὰς γραφάς etiam spectet verba καὶ ὅτι ἐτάφη, cuius sententiae post THEODORETUM, OECUMENIUM multosque veterum et recentiorum, fuerunt MEIIERUS et WETTIUS. Sed auctorem eam cum praecedentibus καὶ ὅτι ἐγήγερται tantum coniunxisse, ex repetitione Particulae ὅτι, nisi fallor, luculenter apparet. Et ipse *Rom.* IV: 25 et alibi docuit, se doctrinae Christianae capita haec duo habere, CHRISTUM *pro peccatis in cruce mortuum*

[1]) Vide GERDESIUM ad h. l.

[2]) Cf. WINERUS, *Gramm.* p. 315. Etiam sequentia τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ mutationem Aoristi in Perfectum pepererunt.

esse, et *ex morte in vitam rediisse;* tertium, *eum sepultum esse*, non item.

Vers. 5.

Iam PAULUS, ut fidem faciat narrationi superiori, *Christum*, secundum Literarum Sacrarum testimonia, *ex morte in vitam rediisse*, aliam ei adiicit, homines recensere incipiens, quibus ille, ab inferis excitatus, apparuit. Recensio illa plus uno nomine discrepat ab iis, quae in commentariis suis Euangelistae memoriae prodiderunt. Cuius rei causam hanc esse putans ZIEGLERUS [1]), quod Apostolus *Euangelio secundum Hebraeos* usus sit, argumento, ut infra videbimus, nititur exigui ponderis. Et sine ullius scripti ope ex ore tantum hominum, quos fide dignos habebat, accepisse videtur, quae hîc ab eo tradita sunt. Discrepantiam autem satis explicabimus considerando, et IESUM quadraginta dierum spatio multo crebrius sectatoribus suis apparuisse, quam narraverint Euangelistae, et a PAULO, ut bene monet ESTIUS, silentio praetermissa esse testimonia, quorum auctoritatem tanti non habitum iri videret a Corinthiis, ut fidenter ad ea provocare posset. Sed interpretatio versuum 5, 6, 7 copiam nobis praebebit ad hanc quaestionem plus semel redeundi.

Quod ab initio legimus: καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, omnium facillimum est. Nihil falsius esse quam ROSENVELDII et MEBII sententiam, verbum ὤφθη haud secus significare: *cum* IESU *collocutus est eumque manibus tetigit*, quam *eum vidit oculis*, ex vs. 8 perspicue

---

[1]) L. c. p. 58 sqq.

intelligimus. Nec tamen quod vulgo scribunt: *Et eum visum esse a* CEPHA, Graecis aeque accommodatum esse videtur atque interpretatio: *Et eum apparuisse* CEPHAE i. e. *Et eum se conspiciendum praebuisse* CEPHAE. Cff. *Luc.* IX: 31. *Act.* XXVI: 16 aliique loci. Atque ita verba ὤφθη Σίμωνι, *Luc.* XXIV: 34, eodem spectantia [1]), exponantur: *apparuit* SIMONI. PETRUS eodem, quod a IESU (*Ioann.* I. 43) accepit, nomine CEPHAE dicitur, quippe *Corinthi* cognito et usitato. Vide 1 *Cor.* I: 12. III: 22. IX: 5. Cur vero hac in urbe, ubi Euangelium Graeco sermone annunciatum erat, CHRISTI sectatores ei nomen Aramaeum dederint, mihi non liquet. In *Galatia* quoque hoc vocabulum tritum fuisse apparet ex *Gal.* I: 18. II: 9, 11, 14, si libris antiquis fides est, quos sequuntur LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS. Sed Apostolum ibi etiam PETRUM dictum esse testatur Cap. II: 7, 8.

Plus negotii facessit alterum huius versus membrum, quod tamen non spectat verba τοῖς δώδεκα, quae multis ab antiquo offensioni fuerunt, quoniam ea contra narrationem *Marc.* XVI: 14. *Luc.* XXIV: 36 sqq. *Ioann.* XX: 19 sqq. repugnare putabant. Itaque OECUMENIUS PAULUM, vel memoria lapsum esse monuit, vel MATTHIAM duodecim Apostolis annumerasse, vel etiam IUDAE proditoris rationem habuisse. Similiter MATTHIAM advocarunt CHRYSOSTOMUS et THEOPHYLACTUS. Alii pro vocabulo δώδεκα substituerunt ἕνδεκα, quod ipsum tamen non sufficit ad difficultatem tollendam, quoniam vespera diei, quo IESUS in vitam redierat, absente THOMA, non plures quam decem Apostoli *Hierosolymis* congregati fuerunt. Sed

[1]) Cff. quae diximus in disp. de *Joann.* XXI: 15, quae legitur in *Bijdragen tot bevord. van Bijb. Uitlegkunde.* Tom. IV. Part. 2. p. 317 sqq.

nodum quaesiverunt in scirpo. Constat hodie, quod iam sensit AUGUSTINUS [1]), Apostolorum *collegium*, etiamsi unus alterque ei deësset, recte dictum esse *τοὺς δώδεκα*, quemadmodum veteres *decemviratum* memoraverint, ubi pauciores quam decem convenissent [2]). Cf. *Ioann.* XX: 24. Quaestio tantum est de Particula *εἶτα*, utrum *temporis*, an *rerum ordinem* significet. Hoc quidem illi praetulerunt interpretes nonnulli, ne PAULI narrationem a narratione Euangelistarum discrepantem facerent. Eodem consilio vocabulum *ἔπειτα* vss. 6, 7 a multo pluribus, quos inter GROTIUS eminet, exponitur *praeterea*, *porro*, vel similiter. Et sane Particulas illas, quamvis nusquam reddendae sunt Latinis *praeterea* et *porro*, in Veterum scriptis inservire ad *rerum ordinem* denotandum, iam docent 1 *Cor.* XII: 28 *Hebr.* VII: 2. *Iac.* III: 17. Huc etiam refero effatum SOCRATIS apud PLATONEM [3]): *Ἐγὼ γὰρ εἰ μὲν μὴ ᾤμην ἥξειν πρῶτον μὲν παρὰ θεοὺς ἄλλους, σόφους τε καὶ ἀγαθούς, ἔπειτα καὶ παρ' ἀνθρώπους τετελευτηκότας, ἀμείνους τῶν ἐνθάδε, ἠδίκουν ἂν οὐκ ἀγανακτῶν τῷ θανάτῳ.* Sed hoc PAULI loco, ope vocabulorum *εἶτα* et *ἔπειτα*, *tempora* distingui MEIERUS, WETTIUS aliique inde probarunt, quod ad recensionis propositae finem (vs. 8) legimus: *ἔσχατον δὲ πάντων*. Haec autem interpretatio confirmatur, si vers. 23, 24, item 46 inspicimus, ubi illa vocabula quoque ad *temporum* distinctionem usurpata sunt. Tertium accedit nec minus grave argumentum, ex loquendi usu petitum: utramque nempe Particulam in *ratiocinatione* spectare posse

---

[1]) *In Ioh. Euang.* Tract. XXVII. Opp. Tom. III. Pars. 2. p. 366 *Bened.* Cf. ibid. *de consensu Evangel.* Lib. III. p. 100.

[2]) Plura similia praebet praeter alios WINERUS. p. 687.

[3]) *Phaed.* Tom. I. p. 63 B. STEPH.

rerum ordinem, ordinem vero *temporis*, nisi fallor, ubique spectare in *narratione*. Neque huius argumenti vis infringetur, si quis Compositum ἔπειτα hîc cum Simplici εἶτα non solum permutari, sed ei etiam praeponi aiat. Quamvis enim hactenus inter se differunt, ut in Composito progressus per praefixum ἐπί ante oculos collocetur, in Simplici non item, inter eorum tamen notionem nihil interest [1]). Exemplo nobis sit vs. 24 coll. vs. 23 [2]). Sine scrupulo igitur PAULI verba interpretor: *Deinde*, vel *postea apparuit duodecim Apostolorum collegio.* Facile autem tollitur difficultas, quae ex horum verborum comparatione cum Euangelistarum narrationibus emanat. Quum enim Apostolus εἶτα scripserit, non vero δεύτερον, COCCEIO assentior nihil obstare cogitationi, apparitiones IESU hîc non memoratas intercessisse. Sed si cui placuerit huic εἶτα eandem tribuere vim, quam habet Latinum *secundo*, ne sic quidem nobis haerebit aqua. PAULUS nempe vs. 5 apparitiones memorat CHRISTI, prouti a se *Corinthi* propositae sunt. Ibi vero si eas, quae mulieribus et discipulis *Emmauntem* proficiscentibus contigerant, quippe minoris auctoritatis, praetermisit silentio, secundum temporis ordinem altera fuit illa, qua se IESUS Apostolis suis congregatis praebuerat conspiciendum. Nec vocabulum τρίτον *Ioann.* XXI: 14, quod iam minus intellexit CHRYSOSTOMUS, impedit, ne Particulas εἶτα et ἔπειτα ad *temporis* ordinem referamus, quippe qua auctor tantum sibi voluit, *tertium* illud esse, *quod hoc in libro memoriae proditum sit.* Simili-

1) Cf. VIGERUS, *de Idiotismis*, ibique ZEUNIUS et HERMANNUS. p. 395 sqq. 783, 784.

2) Plura dabit STEPHANI *Thesaurus*. Edd. HASIO et DINDORFIIS. VV. εἶτα et ἔπειτα.

ter *Ioann.* IV: 54 vocabulum *δεύτερον alterum* denotat *miraculum, in Galilaea patratum, quod hoc in libro descriptum est.* Verumtamen probari nequit, nihil aliud PAULO ante oculos obversatum esse, quam quod legitur locis supra excitatis *Marc.* XVI: 14. *Luc.* XXIV: 36 sqq. *Ioann.* XX: 19 sqq. Immo simul apparitionem IESU, *Ioann.* XX: 26 sqq. ut CRELLIO aliisque, etiam OSIANDRO, visum est, adeoque plures, quas Euangelistae intactas reliquerunt, mente comprehendere potuit. Quod, cur MEIIERUS dixerit, non permittere verbum *ὤφθη*, quippe unam tantum apparitionem denotans, equidem non intelligo. Interpretationem autem si sequimur vulgarem, minus crebro IESUS post reditum suum in vitam sectatoribus suis apparuit, quam ut dici possit *per quadraginta dies continuos* cum iis versatus esse, uti traditur *Act.* I: 3. Cff. X: 40, 41. XIII: 31. Sed infra copia nobis praebebitur huc redeundi.

Vers. 6.

Hic vs. quum sic incipiat: *Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ*, non amplius cohaeret cum superioribus *παρέδωκα* et *παρέλαβον*, ut monuerunt etiam FLATTUS et MEIIERUS. Quaestio tamen est, utrum hîc mera cernatur mutatio orationis obliquae in rectam [1]), ut WETTIUS etiam sibi voluisse videtur, an PAULUS studiose novam proposuerit sententiam, quippe nunc commemoraturus, quae ex eodem quidem fonte ac praecedentia petierat, sed

---

[1]) Hanc mutationem scriptoribus haud minus aliis, quam Novi Testamenti usitatam fuisse docent WINERUS. p. 629 et qui ab eo laudantur.

nondum tradiderat lectoribus suis. Equidem hoc probabilius habeo quam illud: tum, quoniam sequitur Praesens *μένουσιν;* tum propterea quod dubito, an tempore, quo Apostolus *Corinthi* degeret, inter homines huius urbis iam IACOBI nomen adeo nobilitatum fuerit, ut ibi ad apparitionem IESU, quae ei contigisset, utpote rem magnae fidei, aeque ad apparitionem CEPHAE factam provocare posset. Ergo hac in Epistola novis argumentis amplificasse videtur, quod ante quatuor vel quinque annos docuerat. Vocabulum quod attinet *ἐπάνω*, illud iam olim nonnulli, quos laudant CHRYSOSTOMUS et THEOPHYLACTUS, interpretati sunt *superne* seu *coelitus*, quod ESTIUS et CALVINUS ferri posse concedunt. Sed sic minus compositum *ἐπάνω* cum magis composito *ἐπάνωθεν* confunditur. Tum PAULUS, hoc sibi volens, haud dubie mutato ordine scripturus fuisset: *Ἔπειτα ἐπάνω ὤφθη* cet. Quod improbabilem etiam facit interpretationem, SEMLERO non omnino displicentem: *in alto, sublimi in loco.* Hic vero post alios bene monuit, orationis seriem impedire, quominus vs. 6 IESUS iam apparuisse dicatur de coelis, vel in coelos adscendens, quum vs. 7 nondum alia eius commemoretur apparitio, quam his facta in terris. Vocabulum *ἐπάνω* Adverbium est, cum sequenti *πεντακοσίοις* aeque connexum ac *Marc.* XIV: 5 cum Adiectivo *τριακοσίων*. Ibi autem Genitivus pendet a verbo *πραθῆναι*, quemadmodum hîc Dativus a Verbo *ὤφθη*. Et utroque in loco per Breviloquentiam *ἐπάνω* pro *ἢ ἐπάνω* scriptum est, ut apud scriptores Latinos legimus: *interfecit plus trecentos.* Hoc iam viderunt GROTIUS aliique [1]). BEZAE coniectura, pro

---

1) Recentiori tamen memoria in veterum errorem relapsi sunt SCHMIDT, *Bibl. für Kritik und Exegese des N. T. und älteste Christengesch.* Tom. II. p. 538 et WEISZE, *die Evang. Gesch. kritisch*

πεντακοσίοις legendum esse πεντήκοντα, ut nihil habet, quo se commendat, ita vano debetur studio hunc locum cum *Act.* I: 15 in concordiam redigendi. Nam ibi verba in Parenthesi posita: ἦν τε ὄχλος — εἴκοσιν CHRISTI tantum spectant sectatores, qui tempore a LUCA indicato *Hierosolymis* convenerunt, et perspicue declarant, maiorem, ex huius auctoris mente, eorum fuisse numerum. Magis inter se discrepant Viri Docti de interpretatione Particulae ἐφάπαξ. Quod THEODORETUS ad hunc locum scripsit: Οὐ καθ' ἕνα, ἀλλ' ὁμοῦ πᾶσιν, DRUSIUS [1]) aliique probarunt omnes, qui vocabulum cum Latino *simul* convenire monebant, nuperrime etiam MEIIERUS et WETTIUS. Et primo sane aspectu praecedentia ἐπάνω πεντακοσίοις hanc explicationem postulare videntur, ne oratio, quam auctor verbis illis attollere voluit, sequenti ἐφάπαξ deprimatur. Sed re penitius inspecta intellexi, praecedentibus hanc vim non inesse, ut probabilem ipsa faciant interpretationem, quae loquendi usum deserere cogat. Loquendi enim usum, ut iam vidit ERASMUS [2]), deserere cogimus, si discedimus a Latino *semel.* Hoc autem qui cum BRETSCHNEIDERO [3]) aeque ac Rom. VI: 10. *Hebr.* VII: 27. IX: 12. X: 10 exponere vult *semel tantum,* me non habebit repugnantem, ea tamen conditione, ne illud scriptum esse putet, ut *tollerentur apparitiones singulis quingentorum fratrum privatim factae.* Quis enim discipulos, qui vs. 7 memorantur, quingentis fratribus non interfuisse asseveraverit? Uti-

---

und philos. bearb. II. B. p. 416 sqq. Quibus se opposuit NOSSELT, *Diss. Theol.* de IESU *in vitam reditu.* p. 167.

[1]) Annot. in *Bibl. crit.* ad h. l.

[2]) Annot. in *Bibl. crit.* ad h. l.

[3]) *Lex. Man. Graeco — Lat. in libros N. T.* Ed. III. ad. v. ἐφάπαξ.

que Particula ἐφάπαξ nihil aliud significat, quam *semel tantum contigisse, ut* IESUS *quingentis fratribus appareret.* Neque haec interpretatio propterea spernenda est, quod ea quaestionem parit, cur PAULUS illud soli adscripserit versui 6, posterioribus vero membris vers. 5 et 7 non item. Sed parata omnino responsio est, si probatur coniectura, quam supra proposui, Apostolum vs. 5, nisi plures, certe duas spectasse apparitiones, quibus se IESUS Apostolorum conspiciendum praebuerit collegio. Hoc enim posito ille verbis πεντακοσίοις ἀδελφοῖς adiecit vocabulum ἐφάπαξ, ut lectores suos doceret, IESUM quingentis fratribus non bis aut saepius, ut Apostolorum collegio, apparuisse. Quid? quod rursus ex eodem vocabulo haud temere petemus argumentum posterioris membri vs. 5 ita explicandi, ut ad plures IESU apparitiones referatur.

Quid ad fratrum, quos memorasset, plerosque pertinuerit, PAULUS sic indicat: ἐξ ὧν οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι. Pro forma contracta πλείους libri satis multi et haud contemnendi habent primigeniam πλείονες, quae etiam in Edit. Rec. legitur Cap. IX: 19. 2. *Cor.* IX: 2. *Phil.* I: 14. Quoniam autem illis in locis inter se non discrepant Codices Mss. divinare nequeo, quid hic discrepantiam pepererit. Fortasse tamen librarii pro πλείους substituerunt πλείονες, quod meminerant, se hoc quidem in PAULI Epistolis reperire, illud vero non item. Verbum, quod sequitur, μένουσιν per Breviloquentiam scriptum esse pro μένουσιν ἐν βίῳ, vulgo sumunt Interpretes. Opportune KEUCHENIUS [1]) attulit *Eccles.* VII: 16: Ἔστιν ἀσεβὴς μένων ἐν κακίᾳ αὐτοῦ. Addatur, quod de impiis legimus *Iob.* XXI: 11: μένουσιν ὡς πρόβατα αἰώνια. Imprimis comparanda sunt *Ioann.* XXI:

---

1) *Annot. in omnes N. T. libros.* ad h. l.

22. *Phil.* I: 25 [1]). A vero tamen aberrarunt, qui verbum *μένειν* his in locis eodem plane redire putabant ac *ζῆν*. Veteres enim eo proposuerunt homines, qui in terra *superstites erant ad huius vitae munera, sive fausta, seu infausta, obeunda*, vel *ad prosperae seu improsperae fortunae usum*. Sic mulier apud EURIPIDEM:

— — — — *εἴ με χρὴ μένειν*
πάντων ἀρίστου φωτὸς ἐστερημένην [2]).

Similiter apud TACITUM plus semel legimus *durare* [3]). Atque ita PAULUS scripsit: *μένουσιν ἕως ἄρτι*, ut significaret: *superstites hodieque sunt ad rem testimonio suo confirmandam*. Quod intelligendam esse iam viderunt CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS aliique.

Minorem quingentorum fratrum partem spectant postrema huius vs. *τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν*. Haec autem molestiam creant, si ea cum BULLINGERO, GURLITTO multisque aliis interpretamur: *nonnulli vero etiam mortui sunt*. Sic enim Particula *καί*, in libris nonnullis temere omissa, redundat, sive refertur ad praecedens *τινὲς*, seu ad sequens *ἐκοιμήθησαν*. Deinde verbum *κοιμάομαι* confunditur cum *τελευτάω* similibusve *mortem* denotantibus. Aliam igitur viam CHRYSOSTOMUS iam ingressus est monendo: *Οὐκ εἶπεν, ἀπέθανον, ἀλλ' ἐκοιμήθησαν, καὶ ταύτῃ τῇ λέξει πάλιν τὴν ἀνάστασιν βεβαιῶν*: quae verba in laudem eius descripsit VICTORINUS STRIGELIUS [4]), postea HEIIDENREICHIUS. OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS notaverant similia. PAULUM igitur putarunt haec superioribus addidisse, ut exemplo sectatorum CHRISTI,

---

[1]) Plura habent RAPHELIUS, *Annot. Philol. in N. T.* KYPKIUS et PALAIRETUS ad *Joann.* XXI: 22.

[2]) *Trachin.* vs. 176, 177, ubi *Schol.* Tom. I. p. 109 ERFURDTI. verbo *μένειν* perperam adscripsit *ἀντὶ τοῦ ζῆν*.

[3]) *Agric.* Cap. 44 ibique WALTHER.

[4]) *ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ in omnes libros* N. T. ad h. l.

qui ad reditum in vitam obdormivissent, reditum illum ex mortuorum receptaculo probaret. Sed quomodo hoc iam in loco Apostolus tali argumento uti potuerit, equidem non intelligo. Nondum enim aliud agebat, quam ut varios recenseret homines, quibus IESUS hac in terra apparuisset, postquam suscitatus esset ab inferis. Nec verba tamen ita explicare praestat, ut hunc sensum habeant: *Quorum plerique in terra superstites hanc apparitionem eius suo confirmant testimonio, nonnulli vero etiam placido suo, qualis sectatorum* CHRISTI *est, hac ex vita egressu;* quod sibi quoque voluisse videtur OSIANDER. Sic enim verbo *κοιμάομαι* efficacitas tribuitur, cuius nulla, tum in libris Novi Testamenti, tum alibi indicia sunt nisi in locis, in quibus mors cum somno comparatur [1]). Hactenus tantum inter se differunt verba *κοιμάομαι* et *ἀποθνήσκω*, ut hoc uti possint omnes ad mortem proponendam, illud vero aliorum in ore esse nequeat, quam qui mortuos in vitam redituros esse vel saltem non omnino interiisse putant [2]). Ergo hoc unum restare puto, ut PAULI mentem explicemus: *nonnulli vero propterea non amplius testari possunt, quod mortis somnum inierunt.* Hoc vero tale non est, ut orationi obtrudat ὕστερον πρότερον, vim eius et nervos infringens, quoniam et praecedit commemoratio non paucorum, sed *plerorumque, qui testari pergebant,* et ei sub involucro inest: *ipsi quoque testaturi essent, si viverent.*

---

[1]) Ita *Iob.* XXI: 13. *Ioann.* XI: 11 coll. 12—14. *Test.* XII *Patr.* apud FABRIC. l. c. p. 646, ubi de IACOBO legimus: ἐκοιμήθη ὕπνῳ καλῷ. Similia exstant p. 686, 697, 726. Plerisque vero in locis verbum κοιμάομαι ne *placidae* quidem mortis notionem habet. Exemplo sint 2 *Reg.* IV: 32 coll. 34. *Ies.* XLIII: 17. *Ezech.* XXXI: 18. nec minus *Act.* XIII: 36. 1 *Cor.* VII: 39. 2 *Pet.* III: 4.

[2]) Cf. VORSTIUS *de Hebraismis.* p. 198 Sqq.

Vers. 7.

Quod quarto loco memorat PAULUS: ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, *deinde apparuit* IACOBO, nihil negotii facesseret, si satis certum esset, quis ille IACOBUS fuerit, qui ante oculos eius obversaretur. Nihil ineptius est, quam quod in mentem venit HEUMANNO [1]), hunc eundem fuisse virum, qui in Apostolorum recensione THOMAS dicatur, et quidem cognomine ei dato, ut ab utroque Apostolo, qui IACOBI nomen gessit, distingueretur. Sed quis quoque crediderit, hîc spectari IACOBUM, *Zebedaei filium, fratrem* IOANNIS, iam diu, antequam Euangelium *Corinthi* annunciaretur, ab HERODE AGRIPPA interfectum? Patres Ecclesiastici memoriam celebrari putarunt *fratris ipsius* IESU, qui ab eo primus *Hierosolymorum* Episcopus creatus et, virtutis suae causa, *iustus* appellatus sit. Sed hactenus certe a vero aberrarunt, quod concilio *Hierosolymitano* virum praesedisse sumebant, qui *Episcopi munere* fungeretur. Ceterum quaestio est, utrum frater ille IESU fuerit IACOBUS, ALPHAEI *filius*, unus Apostolorum, quos hac in terra sibi ex discipulorum multitudine elegit, an *alius quis eius consanguineus*. ALPHAEI autem *filium* iam ante oculos habuit HEGESIPPUS vel auctor fabulae, ab HIERONYMO [2]) traditae, IESUM, hora matutina diei, quo in vitam rediisset," operimentum capitis servo sacerdotis dedisse et IACOBO, ad quem se contulisset, apparuisse eique dixisse: *Ede panem tuum, nam suscitatus filius hominis est*

---

1) *Miscell. Groning.* Tom. III. Fasc. 2. p. 304. Vanum commentum GERDESIUS ad h. l. probavit.

2) *De viris Ecclesiasticis.* Cap. 2. apud FABRIC. *Bibl. Eccles.* p. 23.

de mortuis." Et plerique interpretum, cum CHRYSOSTOMO et THEODORETO, eandem professi sunt sententiam, nuperrime etiam WIESELERUS [1]). Haud pauci tamen, ducibus CLEMENTE *Alexandrino* [2]), ORIGENE [3]), OECUMENIO, aliisque, IACOBUM IOSEPHI *filium* fuisse putarunt ex coniuge, quam ille ante MARIAM in matrimonium duxisset. Sed hodie gravissimis argumentis comprobatum est, commemorari hîc IACOBUM, MARIAE *ipsius filium, fratrem* IESU *germanum,* qui se primum ei opposuerit (*Ioann.* VII: 2 sqq.), tum sectatoribus eius se adiunxerit (*Act.* I: 14) et *Corinthi* (1 *Cor.* IX: 5), aeque atque in *Galatia* (*Gal.* I: 19) magnam nominis famam consecutus esse videatur [4]). Quonam autem loco vel tempore IESUS post reditum suum in vitam huic fratri suo apparuerit, frustra Viri Docti explorare conati sunt.

Nec definiri potest, quando et ubinam evenerit, quod sequitur: *εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν.* Nihil enim habent, quo nitantur, qui cum HEIIDENREICHIO idem illud, quod *Matth.* XXVIII: 16 narratur, hîc spectari putant. Nullo itidem nomine se commendat sententia FLATTI, OSIANDRI et aliorum, PAULUM attigisse apparitionem IESU, quam memoratam reperimus *Luc.* XXIV: 50 sqq. *Act.* I: 6 sqq. Falluntur quoque, qui *Ioann.* XX: 26 sqq. vel etiam XXI: 1 sqq. tanquam locos similes, comparari iubent, uti ERASMUS

---

[1]) *Studiën und Kritiken.* 1842. p. 96 ff. *Chronologische Synopse der vier Evangeliën.* p. 420.

[2]) Apud EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. II. Cap. 1. Tom. I. p. 92, 93. ubi plura habent Interpretes.

[3]) *Comm. in Matth.* Opp. Tom. III. p. 462, 463. DELARUE.

[4]) Vide imprimis BLOM in *Disput.* de *ΤΟΙΣ ΑΔΕΛΦΟΙΣ* et *ΤΑΙΣ ΑΔΕΛΦΑΙΣ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ.* p. 40 sqq. cuius libri notitia si ad WINERUM pervenisset, fortasse minus ipse haesisset anceps, *Bibl. Realwörterb.* Ed. III. voc. IACOBUS.

SCHMIDIUS [1]), GROTIUS, PALMIUS. Utique frustra, ut etiam MEIERUS vidit, in libris Novi Testamenti historicis quaeritur, quod verbis τοῖς Ἀποστόλοις πᾶσιν conveniat. Praesertim a via aberrant, quotquot haec verba inservire opinantur ad *omnes Apostolos* ab *Apostolorum collegio minus pleno*, quod vs. 5 indicatur, distinguendos. Quum enim formula τοῖς δώδεκα, quamvis sine vitio de collegio minus pleno usurpatur, *ipsa* tamen unius pluriumve absentiam seu defectum *non significet*, Adiectivo quoque πᾶσιν PAULUS significare non potuit, neminem Apostolorum, IESU iis denuo apparente, sui desiderium reliquisse. Quid? quod hoc vocabulum a formula illa longius remotum est, quam ut commode explicetur: *nullo amplius collegii socio excepto.* Immo proxime praecedentia: Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ auctorem movisse videntur, ut iis adscriberet: εἶτα τοῖς Ἀποστόλοις πᾶσιν, atque sic ab uno IACOBO *omnes Apostolos* distingueret. Similiter vs. 5 ab uno PETRO *duodecim* distinxit *discipulos.* At vide, quomodo ibi distinctio illa se habeat. Nimirum quisque sua sponte intelligit, eam hoc sibi nolle, ut CEPHAM vel PETRUM duodecim discipulorum collegio excludamus. Sed duas nobis proponit apparitiones IESU, quarum altera huic discipulo privatim, altera ei una cum aliis collegii illius sociis obtigit. Iam qui animadvertit, orationis formam vs. 7 eandem plane esse ac vs. 5, dubitare nequit, quin utrumque membrum eodem quoque modo explicari debeat. Quid vero hinc sequitur aliud, quam ibi IACOBUM dici *Apostolum,* cui IESUS bis apparuerit, primum privatim, tum quum ille se omnibus conspiciendum praeberet Apostolis? Itaque PAULUS IACOBUM, *fratrem* IESU eo tempore, quo hanc ad *Corinthios* Epistolam scriberet,

---

[1]) *Versio Novi Testamenti* etc. ad h. l.

inter Apostolos collocatum fuisse docet. Hoc autem fieri non potuit, nisi sumamus, plures quam MATTHIAM et PAULUM, postquam IESUS in coelos evectus esset, illum honoris titulum accepisse. Atqui hoc sumi iubent, cum ingens locorum Novi Testamenti copia, tum testimonia multorum Patrum Ecclesiasticorum, quibus calculum adiecerunt CALVINUS, ESTIUS, ARETIUS, alii antiquiores, nuper RÜCKERTUS, MEIIERUS, WETTIUS, etiam STUFFKENIUS [1]). Sed argumentorum, quibus sententia illa nititur, recensionem non capiunt fines huic Commentario statuti. Obiter tantum ostendendum videtur, quam perspicue verba PAULI; *εἶτα τοῖς Ἀποστόλοις πᾶσιν* eodem tendant. Haec enim, si plures non denotant homines, quam superiora: *εἶτα τοῖς δώδεκα*, ineptam continent *Tautologiam* misereque frigent. Contra accommodatissima sunt, si sic explicantur: *Postea apparuit non solum Apostolis duodecim illis, quos hac in terra sibi interioris admissionis discipulos fecerat, sed iis etiam, qui hoc nomine insigniti sunt, postquam ille in coelos evectus erat.* Inter hos autem eminuisse puto *Fratres* IESU, inter Fratres IESU IACOBUM [2]).

Vers. 8.

Quinque IESU, postquam in vitam redierat, apparitionibus, sextam addidit auctor his verbis: *Ἔσχατον δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη* [illegible];

[1]) *Verhand. over de Kerkel. Overlevering.* in TEYLERS *Godgel. Gen.* T. XXXIII p. 63.

[2]) His lectis BROESIO nostro fortasse non amplius placebit coniectura VALCKENARII, pro *πᾶσιν* legendum esse *πάλιν*, quam commendavit in *Randschrift tot den breeden Tekstenrol.* p. 65.*

κἀμοί. Iam Vocabulum ἔσχατον Adiectivum non esse, ut putarunt CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS multique alii, hinc intelligitur, quod scriptum non est in Dativo ἐσχάτῳ, ad Pronomen ἐμοί referendo, sed Accusativus in eo cernitur, qui notionem accepit Adverbii et hactenus in illud transiit, ut in Graecorum libris saepe factum novimus [1]). Neque hoc tamen satis commendat WETTII coniecturam, ab OSIANDRO haud temere improbatam, sequens πάντων Neutrum esse, quod arctissime cum illo connecti debeat ad vim eius ita augendam: *omnium postremum*, sermone vernaculo: *het allerlaatst*. Nam vs. 10 Adiectivum περισσότερον itidem notionem Adverbii accepit, nemo vero dubitabit, quin subiectum πάντων Masculinum habendum sit. Similiter *Matth.* XXII: 27 et, secundum Edit. Rec. *Luc.* XX: 32, ubi legimus ὕστερον πάντων, atque etiam *Marc.* XII: 22, sive ab auctore profectum est ἐσχάτη πάντων, seu ἔσχατον πάντων. Alius generis est, quod, secundum TISCHENDORFIUM aliosque, exstat *Marc.* XII: 29: πρώτη πάντων ἐντολή, ubi Adiectivi notionem retinet vocabulum πρώτη cum Substantivo ἐντολή compositum; uti dissimilia sunt verba PLATONIS πάντων μάλιστα, ad quae WETTIUS etiam provocat. Sed si in PAULI oratione Adiectivum πάντων Masculini generis est, inde non sequitur, eo *omnes* tantum, ut MEIJERO placet, spectari *Apostolos*, vs. 7 memoratos. Quod sibi volens auctor, scripturus, nisi fallor, fuisset πάντων τούτων. Neque aut sequentem Articulum τῷ aut verba ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων vs. 9 legem nobis imponere huius vocabuli ita restringendi, videbimus infra. Nunc sumo, mentem Pauli hanc esse:

---

[1]) Cf. BERNHARD. p. 128 sqq. MATTHIAE. p. 1000 sqq.

postquam vero omnibus suis, quos indicavi, sectatoribus apparuerat.

Multo plus negotii facessunt interiecta ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι. Hodie quidem non amplius agitur quaestio, an pro Articulo τῷ scribendum sit τῳ, quod ex Atticorum usu vim habeat Pronominis τινι [1]). Recentiores enim Interpretes de eo inter se consentiunt, in libris Novi Testamenti huius usus, qualiscunque sit, frustra quaeri exempla. Nullius quoque numeri est tralaticium illud, quod nostra memoria repetiit GURLITTUS, PAULUM aliosque Novi Testamenti scriptores Articulo pro Pronomine τις usos esse, ex imitatione Hebraeorum, qui definito ה ita usi sint. Utroque enim nihil est falsius. Ergo sequendi sine dubio sunt RÜCKERTUS aliique recentiores Interpretes, qui cum BENGELIO Articulo τῷ vim suam vindicant [2]). An subiectum εἰ, ut idem ille monet BENGELIUS, inserviat ad notionem vocabuli ὥσπερ mitigandam, mihi dubium est: hoc satis constat, Apostolum se tantum cum eo comparare, quod insignit appellatione τοῦ ἐκτρώματος. Quid vero hac appellatione sibi voluerit, ab antiquo magna quaestio est [3]). OECUMENIUM inter duas vocabuli illius interpretationes ancipitem iam haesisse, docent haec eius verba: Ἔστι δὲ ἔκτρωμα, ἤγουν ἐξάμβλωμα καὶ ἐμβρωθρίδιον

---

1) Sic iam antea Viri Graves iudicarunt: ALBERT. *Observ. Philol. in Sacr. N. T. libros* et VALCKEN. *select. e schol.* ad h. l. HEMSTERH. ad LUCIAN. Tom. I. p. 179 REITZ. ERNEST. ad XENOPH. *Mem. Socr.* Lib. II. cap. 2. § 12 et ad CALLIM. *Epigr.* XXX. SEGARIUS ad CLEM. *Alex.* libr. *quis dives salvetur.* p. 416, 417. KUEHNIUS ad AELIANI *Var. Hist.* Lib. I. cap. 25, alii.

2) Cf. MIDDLETON, *The Doctrine of the Greek Article.* Ed. ROSE. p. 335 sqq.

3) De Quaestione, an vocabulum ἔκτρωμα minus Graecum sit, vide LOBECKIUM ad PHRYNICHI *Eclogas.* p. 208 sqq et scriptores ibi citatos.

(l. ἀμβλωθρίδιον), ἤγουν τὸ ἀτελὲς ἔμβρυον, τὸ ἄμορφον. Hoc illi praetulit THEOPHYLACTUS scribendo: Ἔκτρωμα δὲ λέγεται κυρίως τὸ ἀτελεσφόρητον ἔμβρυον, ὃ ἀποβάλλεται ἡ γυνή. Alterum placuit THEODORETO, ut ex hac eius intelligimus interpretatione: Ἀμβλωθριδίῳ ἑαυτὸν ἀπεικάζει ἐμβρίῳ, ὃ τῷ τῶν ἀνθρώπων οὐκ ἐγκατείλεκται καταλόγῳ. Recte vero THEOPHYLACTUS (non OECUMENIUS, ut memoriae lapsu notavit MEIIERUS) reprehendit quosdam, qui vocabulum ἔκτρωμα interpretati iam erant τὸ ὕστερον γέννημα. Quae tamen reprehensio quum ex oratione contexta, non ex loquendi usu petita sit, minus mirandum est, postea, etiam recentiori aetate fuisse, qui hanc interpretationem commendarent. Ita HEIIDENREICHIUS, se non intelligere monens, quomodo vulgaris sententia hunc in locum quadret, PAULUM se comparantem fecit cum *prole postuma* seu *infante postremo loco nato*. SCHULTHESSIUS data opera id egit, ut probaret, hanc mentem ei tribuendam esse [1]). Sed interpretationem illam praeter alios FRITZSCHIUS gravi argumentatione refutavit [2]). Qui constantem apud veteres meminerit loquendi usum, nihil aliud scribet quam *abortivum* [3]). Hoc vero quum GERDESIUS et SEMLERUS explicari iubebant ex SUETONII narratione, vulgus AUGUSTI tempore senatores indignissimos et post necem Caesaris per gratiam et praemium allectos *Abortivos* vocasse, latuit eos annotatio CLERICI, librarios SUETONIUM corrupisse

---

[1]) *Exegetische Miscellen* in libro, cui titulus *Analekten für das Studium der Exeg. und System. Theologie, herausgegeb. von* KEIL *und* TZSCHIRNER. Tom. II. part. 1. p. 212 sqq.

[2]) *De nonnull. poster. Pauli ad Corinth. Epist. locis.* Diss. I. p. 60 sqq.

[3]) Cff. STEPHANI *Thes.* v. ἔκτρωμα et WETSTEN. ad h. l.

et *Abortivos* pro *Orcinos* vel *Orcivos* edidisse, uti iam docuisset CASAUBONUS. Immo conferendi sunt *Interpretes Alexandrini Num.* XII: 12. *Iob.* III: 16. *Eccles.* VI: 3, item AQUILA *Psalm.* LVII (LVIII): 9. His autem in locis vocabulo ἔκτρωμα non denotatur *foetus* ante tempus natura constitutum a matre editus, sed *post primam formationem utero eiectus*, *massa*, ut scripsit LIGHTFOOTUS [1]) *informis vel deformis.* Iam vero, quum nihil probabilius sit, quam PAULUM eandem vocabulo illi tribuisse notionem, recte BOSVELDIUS, HAASIUS [2]), MEBIUS, scribendo *eene misdragt*, correxerunt interpretationem veterem *een ontijdig geborene*, quam PALMIUS retinuit. Atque auctorem hoc in mente habuisse testatur oratio contexta. Quam maxime enim se commendat sententia virorum doctorum, quos etiam secuti sunt FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, MEIJERUS, WETTIUS, eum se *partum* vocasse *abortivum*, quippe *omnium Apostolorum infimum et Apostoli munere indignum*, vel potius *inferiorem.* Ergo hoc sibi volens PAULUS scripsit: *Sicuti foetui* (Apostolorum) *abortivo, apparuit etiam mihi.* Vim tamen comparationis non assequor, nisi auctor ea significet, se ceteris omnibus hactenus inferiorem esse, ut IESUM *non viderit oculis corporis.* Et sane PAULUM, neque in itinere suo versus *Damascum*, neque alibi IESUM oculis corporeis vidisse legimus, uti ante KRAUSIUM, RÜCKERTUM aliosque iam bene monuit CALVINUS. Ultro quidem largior, verbo ὤφθη eandem notionem, ac vs. 5, 6, 7, hoc loco tribuendam esse. Ergo hîc etiam exponatur: *conspiciendum se praebuit.* Atqui tale quid haud secus accommodatum est, si quis signa videt

---

[1]) *Hor. Hebr.* ad h. l.

[2]) DE HAAS, *over het XV Hoofdst. van Paulus eersten Brief aan de Korinthers.* p. 24.

praesentiae alicuius, quam si eum ipsis videt oculis. Cff. *Exod.* III: 2. 1 *Macc.* IX: 27. Insolentius est, quod exstat in *Test.* XII *Patriarch.* καὶ οὐκ ἤθελον, οὔτε δι' ὀφθαλμῶν, οὔτε δι' ἀκοῆς ἰδεῖν τὸν Ἰωσήφ.

Vers. 9.

Hoc in vs. et sequenti PAULUS excursum facit ad explicanda proxime praecedentia, ut post alios bene monet WETTIUS. Sine causa GRIESBACHIUS hanc eius orationem posuit in Parenthesi. Ut enim illa arcte cohaeret cum superioribus, ita ad vs. 11 intelligendum non opus est, ut eum connectamus cum vs. 8. Recte igitur LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS Parentheseos notas sustulerunt, quod etiam factum vellem a VATERO, SCHOLZIO, GOESCHENIO.

Orationem sic incipiens: ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος τῶν Ἀποστόλων, dicere vult PAULUS: *Ego enim (non alius quis) infimus sum Apostolorum.* Similiter Adiectivum ἐλάχιστος exstat *Matth.* II: 6. XXV: 40, 45, alibi. Modestia autem animi, priscae ferocitatis sibi conscii, facit, ut Apostolus se ipse deprimat. Eodem modo affectus, *Eph.* III: 8, se τὸν ἐλαχιστότερον πάντων ἁγίων appellavit. Et eiusdem generis est illud: ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ, 1 *Tim.* I: 15. Sic vero loci huiusmodi comparati sunt, ut lectori id proponant, quod secundum mentem auctoris verum est, secundum Historiam et reapse non item.

Quae proxime sequuntur: ὃς οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι Ἀπόστολος, causam enarrant, cur PAULUS se Apostolorum infimum habuerit. Quod RÜCKERTUS coniecit, Pronomen ὅς hîc inservire ad confirmandam sententiam proxime praecedentem, MEIERUS, WETTIUS et

OSIANDER probarunt. Ego iam multos ante annos provocavi ad 1 *Cor.* X: 13. 2 *Thess.* III: 3 [1]. Ergo hoc loco sine scrupulo interpretor: *quippe qui non sum idoneus.* Adiectivo enim ἱκανός *idoneus* seu *qui satis valet ad aliquid faciendum* [2]) significatur, non *dignus*, ut scripsit *Vulgatus Latinus*, cuius tamen vestigiis institisse GROTIUM multosque alios, nuper etiam FLATTUM et RÜCKERTUM, non est sane, quod valde mirer. Nam ut notiones vocabulorum ἱκανός et ἄξιος affines sunt, ita primo adspectu illud pro hoc positum esse videtur *Matth.* III: 11. *Marc.* I: 7. *Luc.* III: 16, ubi legimus: οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι vel simile, pro quo *Ioann.* I: 27 exstat: οὗ [ἐγὼ] οὐκ εἰμὶ ἄξιος, ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος. Sed utriusqne notionem reapse inter se differre, varii, etiam in Novo Testamento, docent loci, in quibus alterum (ἱκανός) legitur, alterum vero (ἄξιος) legi nequit, uti 1 *Cor.* XI: 30. 2 *Cor.* II: 6, 16. III: 5. 2 *Tim.* II: 2. Quum autem in aliis PAULI scriptis vocabulum ἱκανός non exstet, probari certe non potest, hunc illud pro affini ἄξιος substituisse. IOANNES vero Baptista vocabulo usus esse videtur, non dissimili Syri ܫܘܐ, quod in Graecum ἱκανός haud secus converti poterat, quam in ἄξιος [3]), quamvis hoc *dignum* significat, *cui provincia deferatur*, illud *parem eius administrationi.* Itaque Apostoli mentem fuisse puto: *quippe qui impar sum titulo Apostoli gerendo.* Quam interpretationem non favere sententiae, recentiori memoria a KRAUSIO,

---

[1]) *Annot. in loc. nonnull. N. T.* p. 220.

[2]) Cf. ASTIUS, *Lex. Plat.* Tom. II. p. 95, ubi exemplorum praebetur copia.

[3]) *Syrus* Vetus hoc vocabulo aeque *Matth.* III: 11 locisque similibus et 2 *Cor.* II: 16, usus est atque *Ioann.* I. 27 et alibi.

FLATTO, HEIIDENREICHIO receptae, olim Viris Doctis fere communi, verbum καλεῖσθαι in scriptis veterum saepe pro εἶναι positum esse, nemo prudens stomachabitur. Nam ut linguarum docet Analogia, hanc verborum permutationem temere confictam esse, sic verbum καλεῖν aliam quam *vocandi* vel *appellandi* notionem respuere, ipsi illi, quos excitant, testantur loci, uti *Matth.* V: 9, 19. XXI: 13. 1 *Ioann.* III. 1, dummodo diligenter lustrati sint [1]).

Postrema huius versus: διότι ἐδίωξα τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, sine dubio explicanda sunt: *Propterea quod homines insectatus sum Deo per* CHRISTUM *consecratos.* Minus recte notionem *coetus* a BRETSCHNEIDERO aliisque urgeri, ex eo iam apparet, quod PAULUS haud secus mala spectat, quae *Damascenis* CHRISTI sectatoribus inferre voluit, quam quae intulit *Hierosolymitanis.* Similiter autem *sectatores* CHRISTI generatim proponuntur multis in locis, uti Cap. I: 2. X: 32. XI: 22. 2 *Cor.* I: 1, item, *Gal.* I: 3, ubi dicuntur ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, quoniam Divinitus repetendum est, quidquid ad societatem CHRISTI pertinet. Quare homines itidem *Deo* consecrati intelligi debent *Phil.* III: 6 et alibi, tametsi verba τοῦ Θεοῦ expressa non sint. Neque aliud suadet formula αἱ ἐκκλησίαι πᾶσαι τοῦ Χριστοῦ *Rom.* XVI: 16. Deus enim hos nominis sui cultores, uti corpus capiti, CHRISTO subiecisse dicitur, quatenus hunc *regni sui* faciebat *Principem.* Cf. *Eph.* I: 20 sqq. Ergo Genitivus τοῦ Χριστοῦ explicandus est αἱ ἐν Χριστῷ, quod legimus *Gal.* I: 22. Adde 1 *Thess.* II: 14, ubi haec explicatio insigniter confirmatur commemoratione τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, τῶν οὐσῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

---

[1]) Cf. WINER. *Gramm.* p. 699, 700.

Vers. 10.

Iam humanis Divina sic PAULUS opponere incipit: χάριτι δὲ Θεοῦ εἰμὶ ὅ εἰμι. GROTIUS, SLICHTINGIUS, BENGELIUS, multi alii eum sibi voluisse putant, *se factum esse Apostolum.* RÜCKERTO iudice, non tantum munus Apostoli sibi demandatum, sed *omnem suam* significavit *virtutem et operam.* Sic vero auctorem iam occupantem facimus, quae infra demum exponuntur. Neque credere possum, eum, si praedicationem muneris Apostolici spectaret, hac tenui usurum fuisse oratione, ut scriberet: εἰμὶ ὅ εἰμι. Ita vero studiose scripsisse videtur, ne invidiam excitaret se aequando cum Apostolis, quos ipsos puto, quamvis merita PAULI de nominis Christiani propagatione inter gentes agnoscerent, Apostoli titulum ei tribuere noluisse. Vocabulum χάρις quod attinet, frustra GURLITTUS post alios disputavit ad probandum, hîc duplicem eius esse notionem, et quidem ab initio et in media sententia: *beneficii Divini*, ad finem: *vis Divinae.* Nihil aliud, ut clarius apparebit infra, laudatur quam *favoris Divini beneficium.*

Rem igitur Apostolus sic persequitur, ut ostendat, quonam loco et numero favoris Divini beneficium in se collatum habendum sit. Verba eius: καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ, ἡ εἰς ἐμὲ, οὐ κενὴ ἐγενήθη, ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα, pars negantia sunt, pars aientia. In negantibus nihil miri habet Articulus ἡ vocabulo χάρις praepositus, quippe infinitum χάριτι, quod praecedit, definiens. Sequens formula ἡ εἰς ἐμὲ Breviloquentiam continet pro ἡ εἰς ἐμὲ οὖσα vel γενομένη. Nonnulli veteres ediderunt tantum εἰς ἐμὲ, quod causam repetitionis Articuli ἡ non assecuti erant. Inservit vero illa ad hoc benefi-

cium ab alio distinguendum, ut PAULI mens sit: *Et illud favoris sui beneficium, quod erga me praestitit.* Nimirum inter ceteros omnes, quotquot IESU facti erant Apostoli, nemo fuit, quin munus illud honorificum acceptum referre deberet favori Divino; nec tamen favore usi sunt tam singulari, ut huic muneri praeficerentur, postquam CHRISTUM oppugnassent. Postrema *οὐ κενὴ ἐγενήθη*, *non inanis exstitit*, significant, beneficium Dei, quo uteretur, *effectu non caruisse.* Quod quomodo intelligendum sit, auctor nunc explicat sententia aiente. Ad verbum *ἐκοπίασα* CHRYSOSTOMUS notavit: *Κινδύνους καὶ θανάτους ἔχων εἰπεῖν, τῷ ὀνόματι τοῦ κόπου πάλιν ὑποτέμνεται τὸ εἰρημένον.* PAULUM igitur *aerumnas et miserias* commemorasse putavit, quas CHRISTI causa tolerasset. Sic quoque alii. Sed verbum *κοπιάω*, quamquam sibi adiunctam habet notionem *aerumnae* et *miseriae*, nusquam tamen Passivum est, ubique Activum, etiam *Matth.* XI: 28. *Ioann.* IV: 6. 1 *Cor.* IV: 12. 1 *Tim.* IV: 10. Hoc autem in loco omnis clamat oratio contexta illud Activum esse. Itaque vertendo reddendum est *laboravi.* Laborem vero, qui *utilitatis fructum* habuerit, significari, res ipsa loquitur. Quare CALVINO aliisque contradicere nolo, qui hoc explicandum esse monent *profeci* vel similiter. HEIIDENREICHIO tamen calculum adiicere vereor, ubi interpretatur: *tam labore et industria, quam rebus magnificis efficiendis superavi ceteros omnes*, verbum *κοπιάω* utrumque complecti aiens. Multo minus ipsi Verbo aliam notionem quam *laborandi* inesse concedo. Quod concedi non posse docent, Cap. XVI: 16. *Gal.* IV: 11. *Phil.* II: 16 aliique loci. Sed per Metonymiam PAULUS hoc loco declarat, *se in regno Divino,* cuius Princeps CHRISTUS est, *propagando profecisse.* Quum autem huic declarationi praemittat: *περισσότερον πάντων αὐτῶν*, quaestio est,

utrum spectet *singulos*, an *universos*. Hoc vero illi cum MEIERO, WETTIO, OSIANDRO, quos CRELLIUS aliique iam antecesserunt, praeferri iubet coniunctio vocabulorum *αὐτῶν πάντων*, et ipsa disputandi ratio. Nec vana haec fuit iactatio, siquidem PAULUS in variis imperii Romani regionibus homines ex gentium exterarum superstitione ad CHRISTI communionem adduxit; ceteri Apostoli Iudaeos tantum sectatores CHRISTI fecerunt intra angustos maxime *Palaestinae* fines. Recte igitur scripsit, se cunctos superasse in rebus CHRISTI proferendis.

Sed ne sibi gloriam quaerere censeretur, PAULUS se sic correxit: *Οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί.* Quis vero huius orationis sensus sit, Viri Docti inter se disputant. Quaestio iam est, utrum auctor scripserit *ἡ σὺν ἐμοί*, an tantum *σὺν ἐμοί* sine Articulo *ἡ*, quem *Vulgatus Latinus* cum nonnullis Interpretibus librariisque antiquis praetermisit. Et MEIERO iudice spurius est. Sed uti optimorum testium plerique ei patrocinantur, sic TISCHENDORFIUS eum retinuit, et Codicum discrepantiam WETTIUS tam exigui habuit ponderis, ut ne hanc quidem memoraret. Omissionem sane inde ortam puto, quod alii, qui supra *εἰς ἐμὲ* pro *ἡ εἰς ἐμὲ* edidissent, hîc sibi constantes Articulum etiam delerent; alii eo delendo curare vellent, ne PAULUS, sua opera exclusa, omnia Deo tribuere videretur. Eodem consilio moti, multi ab antiquo Interpretes verba *οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ'* per Ellipsin scripta esse contenderunt pro *οὐκ ἐγὼ δὲ μόνος, ἀλλὰ καί.* Quod quis fortasse mirabitur iam commentum esse AUGUSTINUM, quum notaret: *Non ego autem i. e. non solus, sed gratia Dei mecum. Ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Nec reapse hinc discesserunt, quotquot interpretabantur: *non tam ego, quam*, vel Apostolum

certe faciebant id, quod ipse praestiterat, operationi Divinae subiicientem, uti recentiori memoria HEILDENREICHIUS, FLATTUS, RÜCKERTUS, OLSHAUSENIUS, MEIERUS, WETTIUS. Ellipsin vel Breviloquentiam quod attinet, hanc WINERUS [1]) temere confictam esse probavit. Sed ne illi quidem concedere possum, haud raro, ex Rhetoricorum usu, *negationem absolutam pro relativa positam* esse ad posteriorem sententiae partem ita ante oculos collocandam, ut prior se subducat. Si enim PAULUS ait 1 *Thess.* IV: 8: *ὁ ἀθετῶν, οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν Θεόν*, omnino docet, *non hominem sperni*, errori obnoxium, *sed unum Deum*, fallere nescium. Ita IESUS *Matth.* X: 20 discipulos monens: *Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστὲ οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν*, haud dubie spem iis fecit fore, ut, quidquid pro causa CHRISTI loquerentur, *non sibi deberent, sed uni Spiritui Patris coelestis.* Nec declarans ille *Marc.* IX: 37: *Ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποστείλαντά με*, aliud quid sibi voluit, quam: qui se accipiat, *non se accipere hominem, sed Deum, cuius legatus sit.* Eodem modo iudicandum puto de *Ioann.* XII: 44 et *Act.* V: 4, quos locos WETTIUS etiam in medium attulit. Quid? quod similiter explicanda sunt verba PAULI 1 *Cor.* I: 17: *Οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ' εὐαγγελίζεσθαι*, quae WINERO scrupulum iniecerunt. Recte enim Apostolus sui muneris esse scripsit Euangelii annunciationem, *baptismi administrationem non item*, quippe quae adiutoribus eius demandata fuit [2]). Ceterum mirandum foret,

---

[1]) P. 579 sqq.

[2]) Cff. quae monui in *Jaarboeken voor Wetensch. Theol.* Tom. IV. Part. 2. p. 246, 247. Disputatis nunc adiicio, Apostolos, ubi baptismi administrationem adiutoribus suis demandarent, secutos esse exemplum ipsius IESU, quod propositum est *Ioann.* IV: 2.

si scriptores Novi Testamenti vocabula *οὐκ, ἀλλά* pro *οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ* posuissent, quoniam haec ipsa *Rom.* V: 3, 11. IX: 10, 24. 2 *Cor.* VII: 7. VIII: 10 alibique usurparunt, ubi idem illud in mente habebant, quod Latine dicitur *non solum, sed etiam.* Ex diverticulo nunc redeamus in viam. PAULO, quod suum est, tribuit REVIUS in VALLAM, ad reprehendendum ERASMUM haec annotans: „si *gratia Dei mecum hoc facit*, ergo *simul ego et gratia Dei*, et falsum erit illud: *οὐκ ἐγώ.* At si verteris, ut oportet, *non ego, sed gratia Dei, quae mecum est*, et textui satisfeceris, et totum gratiae Dei transscripseris." Consentiunt VATABLUS, CALVINUS, BEZA, alii. Praecessit THEOPHYLACTUS monendo: *Καὶ τὸ κοπιάσαι δὲ αὐτὸ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτός ἐστιν, οὐκ ἐμὸν κατόρθωμα.* Sed ab hac parte aeque atque ab altera peccatum est minus recta interpretatione vocabuli *χάρις.* Qui eo enim significari putant, *Deum, quum* PAULUS *feliciter laboraret, id vi sua egisse*, non aliter fieri potest, quin orationi difficultatem pariant. At si eadem ac supra tenetur notio, omnis difficultas tollitur. Nimirum Apostolus *favoris divini beneficio, quo uteretur, id actum esse* dicit, *ut labor suus ex voto succederet.* Itaque non laudavit, quod Deo inerat, sed *quod Deo debebat* [1]). Et hic quidem sensus est, si Articulum *ἡ* delemus, multo magis vero, si, ut probabile esse monui, eum retinemus. Perperam enim HEIIDENREICHIUM formulae *ἡ σὺν ἐμοί* cogitando adiicere Participium *κοπιῶσα* (memoriae lapsu scripsit *κοπιοῦσα*), inde sequitur, quod idem hic intelligi debet vocabulum, ac supra in formula *ἡ εἰς ἐμέ.* Ergo plena erit sententia, si eam sic constituerimus: *Οὐκ ἐγὼ δὲ (ἐκοπίασα), ἀλλ' (ἐκοπία-*

---

1) Cff. quae monui ad *Phil.* I: 7 et docta Disput. MOLLII in *Bijdragen tot bev. der Bijb. uitlegk.* Tom. V. p. 1. p. 139 sqq.

σεν) ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοὶ (οὖσα). Postremum autem illud οὖσα propter praecedentia cum CALVINO, BOSVELDIO aliisque interpretari malo *erat*, quam *est*. Iam in memoriam revocetur, verba *σύν τινι εἶναι*, quae proprie denotant *cum aliquo versari* vel *alicuius in communione esse* [1]), hinc ad eum transferri, *qui alicuius partes sequitur*, uti *Act.* XIV: 4, ubi legimus: *Καὶ οἱ μὲν ἦσαν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις, οἱ δὲ σὺν τοῖς Ἀποστόλοις.* Similiter hoc loco explicanda sunt illa ἡ σὺν ἐμοί: *quae partes meas sequebatur* i. e. *quae mihi auxilio erat.* Itaque PAULUS sibi voluisse videtur: *Non mihi accepti referendi sunt maiores illi laboris mei fructus, sed beneficentiae Dei, qui mihi auxilio erat,* vires, nempe, loca, opportunitates, animos benevolos, singularia praesentiae suae indicia mihi dando, quo factum est, ut meo in labore successu prospero uterer. Quod eodem redit atque illa, quae exstant Cap. III: 6. *Hebr.* II: 4, imprimis *Marc.* XVI: 20, quem locum laudavit BENGELIUS.

Vers. 11.

Argumentationem suam pro IESU reditu ex morte in vitam PAULUS hoc versu concludit, ut ipsa iam docet Particula *οὖν*, quae ubique consequentiam significat, nunc temporis, nunc orationis. Nonnulli quidem librarii et interpretes pro ea *δέ* aut *γάρ* substituerunt; sed fraudem iis fecit ignorantia nexus, quem huius loci verba habent cum praecedentibus. Satis certum est, auctorem priori in membro scripsisse: *Εἴτε*

---

[1]) Cf. KÜHNER, *Ausführl. Grammat. der Griech. Sprache.* Tom. II. p. 275, 276.

οὖν ἐγὼ, εἴτε ἐκεῖνοι. Iam multi unum alterumque, quod omissum sit, ex superioribus repetendum esse putarunt. Nihil longius quaesitum et ab usu loquendi magis alienum habeo, quam quod commentus est HEIIDENREICHIUS, orationem sic suppleri iubens: *Εἴτε* (non *Εἶτε*) *οὖν ἐγὼ*, sc. *εὐηγγελισάμην* (non *εὐαγγελισάμην*) *ὑμῖν τὸ εὐαγγέλιον, εἴτε* (non *εἶτε*) *ἐκεῖνοι*, sc. *παρέδωκαν αὐτό*. Neque amplius mihi placet coniectura, aute annos aliquot proposita [1]), orationis hanc faciendam esse structuram: *Κηρύσσομεν οὖν οὕτω, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ἐκεῖνοι*. Nam, uti exempla Traiectionis, quae in medium attuli, dissimilia sunt; ita me latuit causa, cur PAULUS inceperit a verbis: *Εἴτε οὖν ἐγὼ, εἴτε ἐκεῖνοι*. Hanc vero causam assecuti quoque non sunt, quotquot ab antiquo contendebant, eum hîc ad seriem ratiocinationis, vss. 9, 10 interruptam, rediisse, quod nuper MEIIERO quoque visum est. Immo cum digressione, quae ibidem reperitur, verba: *Εἴτε οὖν ἐγὼ, εἴτε ἐκεῖνοι*, uti WETTIUS etiam censet, si mentem eius bene intelligo, arcte cohaerent, ut sic explicanda sint: *Ergo, quum hoc beneficium Dei in me collatum sit, sive ego, seu illi.* Iam cum GROTIO orationi cogitando adiiciendum est *respiciuntur* vel simile quid, ut apud PLATONEM, ubi legimus: *εἴτε οὖν καινὰ, εἴτε παλαιὰ* [2]). Eodem modo Breviloquentia, ut idem ille aliique monent, tollatur Cap. XIII: 8, item 2 *Cor.* VIII: 23. Praesertim comparari meretur, quod scripsit Apostolus *Phil.* I: 18: *πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται*. Recte iam CHRYSOSTOMUS interpretatus est: *Παρ' οὗ βούλεσθε μαθεῖν,*

---

[1]) *Corrigenda et addenda* ad *Comm. in Ep. ad Phil.* pag. 120, 121.

[2]) *Apol.* Tom. I. p. 27 C.

μάθετε, οὐδὲν διαφέρομεν; et paulo inferius: *Οὐδὲν ἡ τῶν προσώπων ἐποίει διαφορὰ, τῶν ἀξιωμάτων ἴσων ὄντων.* Dicere voluit PAULUS: *Eodem igitur res redit, sive mei ratio habetur, sive illorum*, nempe *Apostolorum*, qui vs. 9 memorati sunt. Se autem illis praeposuit, quoniam suum ministerium cum aliorum ministerio comparaverat. Hoc vero ab iis negligitur, qui BEZAE assentiuntur, Particulas *εἴτε, εἴτε* pro *καὶ, καὶ* positas esse.

Alterum huius versus membrum: *οὕτω κηρύσσομεν, καὶ οὕτως ἐπιστεύσατε* fere nihil continet, quod molestiam creare possit. Verbum *κηρύσσομεν*, ut CHRYSOSTOMUS aliique Patres iam monuerunt, omnem cogitationem eius amovet, quod occultum et clandestinum est. Ergo PAULUS dicere vult: *Palam et publice annunciamus, Christum ex morte in vitam rediisse.* Postremum enim illud inesse vocabulo *οὕτω*, ex vs. sequenti luculenter apparet. Quemadmodum autem auctor Praesenti id denotavit, quod ipse aliique Apostoli per totam vitam agebant, sic studiose ei subiunxit Aoristum *ἐπιστεύσατε*, ut, aeque ac vs. 2, memoriam renovaret illius temporis, quo *Corinthii* Euangelio praebuissent aures, nondum ab eo aversas. *Crediderant* igitur, CHRISTUM *ex morte in vitam rediisse, atque hoc etiamnum credebant.*

Vers. 12.

Probato IESU reditu ex morte in vitam, hinc PAULUS argumentum cepit adversus eos disputandi, quibus doctrina, mortuos in vitam redire, in dubium vocanda vel neganda videbatur. Disputationem autem ingressus est ostendendo, huiusmodi homines sibi

ipsos contradicere. Verba eius sunt: *Εἰ δὲ Χριστὸς κηρύσσεται, ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, πῶς λέγουσί τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν.* In priori huius orationis membro eadem reperitur dicendi forma ac *Marc.* XII: 34. *Ioann.* XI: 31. 1 *Cor.* I: 26, quos locos notavi ad vs. 1, 2. Ergo vocabulum *Χριστὸς*, quod Verbo *κηρύσσεται*, utpote primarium, praepositum est, explicatur sequentibus: *ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται.* Per Breviloquentiam autem praetermissa esse, quae verbo illi cogitando addenda sint, quisque sua sponte intelligit. Nec dubitandum est, quin PAULUS sibi voluerit: *si vero* CHRISTUS *a nobis, quibus fidem habetis, palam et publice annunciatur, nempe, eum ex mortuis suscitatum esse.* Hanc vero Protasin Apodosis excipit multo difficilior.

Et primum quidem quaestio est, quid significet formula *ἀνάστασις νεκρῶν*, cuius variae interpretationes in Introitu commemoratae sunt [1]). Quod autem ibi verbo notavi, eam neque *animum*, neque *corpus*, multo minus *carnem*, sed *hominem* spectare, sine magno negotio probabitur. Tota enim haec PAULI disputatio nobis tam evidenter, *hominem*, ex morte in vitam rediturum, proponit, ut nullus amplius disceptationi locus pateat. Scrupulum, quem fortasse vs. 35 sqq. lectori iniiciunt, spero fore, ut infra ex animo evellam. Iam in priori huius vs. membro Apostolus, quum scriberet *Χριστὸς ἐγήγερται*, *toti* CHRISTO, non animo, aut corpori eius, reditum in vitam tribuit. Eodem ducit for-

1) Huius loci non est commemorare, quae KNAPPIUS aliique de variis monuerunt notionibus, quas vocabulum *ἀνάστασις* in libris habet Graecorum. Sed huic disputationi valde accommodatum est, quod legitur apud AESCHYLUM, *Eumenid.* vs. 644, 645:

Ἀνδρὸς δ' ἐπειδὰν αἷμ' ἀνασπάσῃ κόνις,
Ἅπαξ θανόντος οὔτις ἔστ' ἀνάστασις.

Cf. SCHÜTZ, *Comment.* Vol. III. p. 211.

mula *ἀνάστασις δικαίων τε καὶ ἀδίκων Act.* XXIV: 15, quacum usitatior illa *ἀνάστασις νεκρῶν* vs. 21 permutatur. Neque hinc deflexit PAULUS *Phil.* III: 11, *τὴν ἐξανάστασιν* adiunctis *τὴν ἐκ νεκρῶν* ab alia qualicunque distinguens. Hoc ipsum etiam in mente habuit, quum 1 *Thess.* IV: 16 scribebat *οἱ νεκροὶ ἀναστήσονται* mortuisque vs. 17 *τοὺς ζῶντας* opponebat. Cur vero longus sim? Nusquam scriptores Novi Testamenti, si mirificam narrationem *Matth.* XXVII: 52, 53 excipimus, alius reditus in vitam mentionem faciunt, quam *totius hominis.* Quid? quod hanc unam *totius hominis immortalitatem* IESUS perspicue docuit in disputatione sua cum Sadducaeis *Matth.* XXII: 29 sqq. *Marc.* XII: 24 sqq. *Luc.* XX: 34 sqq. Uti enim ABRAHAMUS, ISAÄCUS et IACOBUS ibi *τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν iam participes facti esse Deoque vivere* dicuntur, sic *οἱ νεκροί*, quatenus non amplius mori possunt, vocantur *τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ* et *cum Angelis comparantur in coelo versantibus.* Sed *Ioann.* V: 28, 29 *πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*, qui, voce Filii hominis audita, egredientur ad *ἀνάστασιν ζωῆς* et *ἀνάστασιν κρίσεως*, *homines* quoque, non corpora vel animi, sunt, etiamsi verum sit, quod vulgo sumitur, *communem mortuorum egressum ex sepulchris* hîc proponi [1]). Et similiter *Ioann.* XI: 23, 24, 25 vocabulum *ἀνάστασις* et verbum *ἀνίστημι* usurpantur, non ad corpus vel animum, sed ad LAZARUM et quemcunque CHRISTI *sectatorem* denotandum, qui ex morte in vitam rediturus sit, quemadmodum vs. 31 MARIA proprie *ἀναστῆναι* dicitur [2]).

---

[1]) Cff. disputata in *Introitu.* p. 8, 9.

[2]) Strenue nuper hanc interpretationem tuiti sunt BRIËTIUS, SONIUS SWAAGMAN et VAN OORDT, l. l. c. c. Cff. PALMIUS ad h. l. SCHOLTEN. *Iaarboeken.* Tom. VI. Pars. 3. p. 445 sqq. IENTINKIUS l. c.

Nec tamen PAULUS formula *ἀνάστασις νεκρῶν* generatim *hominis immortalitatem*, sed sigillatim *beatum sectatorum* CHRISTI *reditum in vitam* denotavit. Argumento nobis sunt vs. 14, 17—19, 21, 22, 36 sqq. 42, 43, 44, 49 sqq. in quibus infra videbimus, hanc *ἀνάστασιν* talem praedicari, ut in solos quadret CHRISTI sectatores, beatitatem melioris vitae consecuturos. Similiter beatitas illa aliis in locis per excellentiam *ἀνάστασις* vocatur, uti *Matth.* XXII: 30 sqq. *Marc.* XII: 24 sqq. *Luc.* XX: 34 sqq. *Ioann.* XI: 25 coll. VI: 39, 40, 44, 54. Haud scio quoque, an haec notio lateat in 2 *Tim.* II: 18. *Hebr.* VI: 2. Sed eius usus aperte probatur *Luc.* XIV: 14, ubi legimus: *Ἀνταποδοθήσεταί σοι ἐν τῇ αναστάσει τῶν δικαίων;* item *Hebr.* XI: 35, ubi *κρείττων ἀνάστασις* distinguitur a mera mortuorum revocatione in vitam. Huc etiam spectant formulae *ἡ ἀνάστασις ἡ ἐκ νεκρῶν* *Luc.* XX: 35. *Act.* IV: 2 et *ἡ ἐξανάστασις ἡ ἐκ νεκρῶν* *Phil.* III: 11, quae aliter explicari nequeunt, quam *reditus in vitam mortuis sibi relictis;* quemadmodum IESUS in vitam rediisse dicitur *Luc.* XXIV: 46. *Ioann.* XX: 9. *Act.* X: 41. XVII: 3. 1 *Pet.* I: 3, et ABRAHAMUS *Luc.* XVI: 31 divitem illum repellit verbo: *οὐδ' ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ πεισθήσονται,* quibus locis secum mutuo comparandis MULLERUS [1]) et WEIZELIUS [2]) vidissent, se vim Praepositionis *ἐκ* propterea, quod alibi sine ea legitur *ἀνάστασις νεκρῶν,* temere negare. Nusquam autem, si excipimus *Ioann.* V: 28, 29, *ἡ ἀνάστασις* ad improbos refertur, nisi *Act.* XXIV: 15, quo in loco, si vocabulum *νεκρῶν*

Eandem sententiam professus est PAREAU, *Hermeneutica Cod. Sacr.* p. 160, item BAUR l. c. p. 605.

[1]) *Stud u. Krit.* p. 748.

[2]) Ibid. p. 908. sqq.

ex oratione expellimus, PAULUS dicens inducitur: ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι δικαίων τε καὶ ἀδίκων. Sed ubi verba ἀνάστασις, ἀναστῆναι et ἀνίστασθαι in eius Epistolis exstant, *beneficium* significant *probis sperandum*. Sic etiam 1 *Thess.* IV: 16 legimus: οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον. Quae quum ita sint, non dubito hîc etiam formulam ἀνάστασις νεκρῶν explicare *beatus sectatorum* CHRISTI *reditus in vitam* [1]).

Iam sequitur, ut videamus, quomodo sumenda sint verba οὐκ ἔστιν. Vulgo Interpretes ea explicarunt: *esse non potest.* Quod multis defendere conatus est BOSVELDIUS, quocum consentiunt STORRIUS [2]), KNAPPIUS, alii. Praecessit iam THEODORETUS ad vs. 13 annotando: Εἰ γὰρ τοῦτο οὐ δυνατὸν, οὐδὲ ἐκεῖνο γεγένηται. Eodem reapse redit interpretatio MEIJERI et WETTII: *nihil est.* Et sane verba οὐκ ἔστιν ita explicari nequeunt, ut cogitatio eius, quod ἀδύνατον est, secludatur. Sed vel sic tamen nihil impedit, quominus Latine scribamus *non est*, uti *Rom.* XIII: 1. *Eph.* VI: 9 al. Nequidquam vero hoc Praesens urgetur ad commendandam opinionem, PAULUM hoc in Capite reditum in vitam proponere, *qui mortem continuo sequatur.* Neque argumentum alicuius ponderis in eo cernitur, quod infra frequens Praesentis usus est, uti vs. 15, 16, 29, 32, 35 cet. Exstant enim vs. 22 sqq. 46 sqq. 51 sqq. quae hanc sententiam auctori tribuere vetent, nisi eum facere velimus eadem in disputatione sibi aperte contradicentem [3]). Praeterea verba

---

[1]) Ita vocabulum ἀνάστασις iam intellexerunt POLYCARPUS vel quisquis auctor est *Epist. ad Phil.* Cap. 2, 5, aliique veteres. Ceterum cf. MULLERUS l. c.

[2]) L. c. vol. II. p. 333, 334.

[3]) Cff. quae monui in *Introitu.* p. 8.

παρέδωκα vs. 24 et καταργεῖται vs. 26 ita explicari nequeunt, ut partibus illis faveant. Sed haec ipsa verba nobis ostendunt, aliam esse causam, cur PAULUS, et infra Praesenti usus sit, et hoc loco scripserit οὐκ ἔστιν. Nimirum id, quod *certo futurum* est, ab eo ante oculos lectorum ponitur, quippe ex decreto Divino, vel doctrina constituta sequens [1]). Ergo verbis: ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν negatur, ex Divino decreto vel ex doctrina constituta sequi, ut sectatores CHRISTI beatus maneat in vitam reditus. Similiter interpretanda est formula μὴ εἶναι ἀνάστασιν *Matth.* XXII: 23. *Luc.* XX: 27. *Act.* XXIII: 8. Ceterum recte monuerunt BOSVELDIUS aliique, a PAULO non profectum esse ἀνάστασις τῶν νεκρῶν (sermone vernaculo *van de dooden*), sed νεκρῶν (*van dooden*), quod mente magis quam vulgari favet sententiae.

Quid sibi velint verba πῶς λέγουσι, a quibus hoc membrum posterius incipit, dictu facilius est. Breviloquentia est vitae communis, sic explicanda: *Quid est, quod dicunt*, vel *quomodo tandem fieri potest, ut dicant*. Ita Particulam πῶς usurpatam esse *Gal.* II: 14, recte monuit RUECKERTUS. Alii provocarunt ad *Matth.* XXII: 43. Sed multi in PAULI aliorumque scriptis sunt loci similes. Cff. *Ioann.* VII: 15. *Act.* II: 8. 1 *Cor.* XIV: 16, item *Rom.* VI: 2 aliique a MEIJERO et WETTIO allati. Illi autem τινὲς ἐν ὑμῖν, quos memorat Apostolus, homines fuerunt, ex Graecorum societate profecti, ut supra [2]) me monere memini. Coniectura autem illos non a PAULO ad CHRISTI communionem perductos esse, sed se ipsos, post Apostoli abitum,

---

[1]) Exempla praebent WINER. p. 307, 308. BERNHARD. p. 371, 372. KUHNER. Tom. II. p. 65, 66.

[2]) *Introit.* p. 6, 7.

sectatoribus eius adiunxisse, an eo commendetur, quod scripsit *τινὲς ἐν ὑμῖν, quidam in vobis*, non vero *τινὲς ὑμῶν*, aliis iudicandum relinquo.

Vers. 13.

Iam positis duobus, adversa fronte pugnantibus, oratio regreditur ad explicandum, quomodo alterum altero evertatur. Bene OECUMENIUS: *Ἵνα μὴ λέγωσιν, ὅτι ὁ μὲν Χριστὸς ἐγήγερται, οὐ μὴν ἔσται καὶ καθολικὴ ἀνάστασις, ἐκ τοῦ ἐναντίου κατασκευάζει αὐτό*. Ipsa autem PAULI verba nihil habent difficultatis. Nam Particulam *οὐδέ* plus quam simplicem *οὐ* denotare, manifesta et confessa res est. Graeca haud dubie reddenda sunt: *Si autem nullus mortuorum est in vitam reditus, ne* CHRISTUS *quidem revocatus est in vitam.* Eodem modo Particulam *οὐδέ* accipere debemus vs. 16. *Rom.* IV: 15. 1 *Cor.* V: 1, alibi [1]). Quaestio tantum est, quibusnam principiis haec ratiocinatio nitatur. Regulam *sublato genere tollitur etiam species*, quam GROTIUS memoravit, ad hanc orationem applicare non possumus, nisi sumamus, CHRISTUM eiusdem naturae fuisse ac sectatores eius. At hoc sumto, sic se habet argumentatio: *Si autem nullus in homines cadit reditus ex morte in vitam, sequitur, ne* CHRISTUM *quidem, quippe ipsum hominem, ex morte in vitam rediisse.* Nec huius argumentationis enervatur probitas disputatione RÜCKERTI, CHRISTUM, secundum PAULI doctrinam, non merum fuisse hominem, sed naturam homine superiorem. Ut enim huiusmodi na-

---

[1]) Cf. HARTUNG, *Lehre von den Partikeln.* Tom. I. p. 211, 212.

tura, quum morti obnoxia non sit, in vitam etiam redire nequit; sic Apostolum aliam CHRISTI rationem non habuisse quam hominis, et ex vs. 21, et ex tota oratione contexta perspicue apparet. Recte igitur MEIIERUS interpretationem supra propositam defendit. Minus recte WETTIUS ait, CHRISTUM, vitiositatis expertem, morti obnoxium non fuisse ideoque ex eius reditu in vitam cogi non posse, homines, peccandi labe adstrictos, reviviscere. Quisque enim intelligit, perinde hîc esse, quantum inter CHRISTUM intersit culpa vacuum, et homines seu sectatores éius culpa oneratos, sed unam agi quaestionem, an reviviscat homo Christianus, quisquis moriatur. Nihil quoque agere videtur Vir Doctus, ubi PAULO hanc conclusionem tribuit, ex eo, quod CHRISTUS revixit, necessario sequi mortuorum reditum in vitam, quippe *qui illinc initia ceperit*. Haud quidem ignoro, hanc similemve interpretationem iam CHRYSOSTOMO, THEOPHYLACTO aliisque, etiam recentioris memoriae, uti OSIANDRO, placuisse. Sed ea, nisi egregie fallor, et nihil habet in circumiacentibus, quibus se tueatur, et praemature occupat id, quod demum vs. 20 proponitur, quae etiam sententia est MEIIERI.

Vers. 14.

Nunc PAULUS, a conclusione sententiae praecedentis sic incipiens: *Εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται*, ex opinione, CHRISTUM in vitam revocatum non esse, duo sequi docet aeque miserabilia. Alterum est, secundum Editionem Receptam: *κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν;* sed, Particula *καὶ* orationi inserta, GRIESBACHIUS edidit: *κενὸν ἄρα καὶ* cet. Quod, antiquorum librorum

auctoritati cedentes, etiam probarunt SCHOLZIUS, TISCHENDORFIUS aliique. Nec hanc recipere equidem vereor Particulam, quippe quae a multis omissa esse videtur, quoniam eam supervacaneam habebant. Adiectivum $\varkappa\varepsilon\nu\acute{o}\nu$ MOSHEMIUS, ROSENMULLERUS [1]) aliique interpretantur *falsum*. Sed primum hoc in Capite, ut docent vss. 10 et 58, illud usurpatur ad denotandum id quod *vanum* est. Deinde frustra ad vindicandam ei notionem *falsi* alii excitantur loci, uti *Act.* IV: 25. *Eph.* V: 6. *Col.* II: 8, quos BRETSCHNEIDERUS attulit. Tum haud scio, an vs. 17 vocabulum $\mu\alpha\tau\alpha\acute{\iota}\alpha$ nobis indicet, affine $\varkappa\varepsilon\nu\acute{o}\nu$ hoc loco significare *vanum*. Et id; quod *falsum* est, auctor demum vs. 15 proponit, ubi, si hîc iam scribimus *falsum*, gradatio tollitur vel imminuitur. Sed KNAPPIO quoque, hoc Adiectivum interpretanti *inutile*, obtemperandum non esse, post KRAUSIUM et FLATTUM docuit A. F. MULLERUS [2]). Ergo alterum, quod ex eo, CHRISTUM in vitam non revocatum esse, sequitur, sic Apostolus affert: *Itaque sine ullo argumento (fundamento) etiam est, quod a nobis annunciatur*. Nam Particula ἄρα, quamvis saepe in oratione exstat, ubi *necopinati quid* proponitur, ipsa tamen *hoc necopinatum* non denotat, sed tantum Latino *itaque* vel simili respondet, ut recte WETTIUS monuit, et ipse MEIIERUS nuperrime vidit. Cff. *Rom.* VII: 21. VIII: 1. 1 *Cor.* VII: 14. *Gal.* III: 7, quibus in locis aliud vocabulum eam praecedit. Particula autem καὶ, *etiam*, quam PAULO restituimus, explicanda videtur *praeterquam quod* CHRISTUS *in vitam non revocatus est*. Una vero restat quaestio, quomodo illud: *quod a nobis annunciatur*, intelligendum sit. Formula nempe

---

[1]) *Scholia in N. T.* Ed. IV. ad h. l.

[2]) *Diss. Exeget. de loco* PAULI 1 *Cor.* XV: 12—19. p. 8.

τὸ κήρυγμα in scriptis Novi Testamenti sic usurpari solet, ut comprehendat omnia, quae Apostoli cum Iudaeis gentibusque exteris communicarunt, uti 1 *Cor.* I: 21. II: 4, alibi. Praecipua eorum pars cernebatur in rebus CHRISTI, quae ab illo tempore, quo sacris initiabatur a IOANNE, evenerant, donec in coelos susciperetur. Cff. *Act.* I: 21, 22. X: 36 sqq. KRAUSIUS autem, HEIIDENREICHIUS aliique notionem vocabuli κήρυγμα ita restringendam esse monuerunt, ut nihil amplius intelligatur quam *annunciatio reditus* CHRISTI *in vitam.* Quod PELAGIO iam placuisse, ex his cogimus eius verbis: „Ergo et nos sine causa haec praedicavimus, si vere non resurrexit, et vos in illum frustra credidistis." Et primo adspectu huic interpretationi fidem facit comparatio verbi κηρύσσειν vs. 11, 12. Nec verum est, quod nonnulli dicunt, ridiculam ea ratiocinationem PAULO affingi. Longe aliud enim est scribere: *Si* CHRISTUS *in vitam non rediit, sequitur, illum in vitam non rediisse;* longe aliud vero: *Si* CHRISTUS *in vitam non rediit, sequitur, nos Apostolos eius palam et publice annunciare, quod sine ullo argumento est.* Sed hac restrictiore notione vocabuli κήρυγμα vulgari et latissime patenti praeferenda orationi et gradatio adimitur, et languor iniicitur. Deinde verbis vs. 12 involutum est quidquid ad Euangelii annunciationem pertinet. Tum sequens argumentatio vs. 15 indicio esse videtur, ipsam doctrinam reditus mortuorum in vitam supra non attingi. Consentio igitur cum plerisque Interpretibus, etiam RÜCKERTO, MEIJERO, WETTIO, OSIANDRO, hanc PAULI mentem esse: *Si vero* CHRISTUS *ex morte non revocatus est in vitam, sequitur, vanam etiam esse nostram Euangelii annunciationem.*

Itaque obscurum non est, quid auctor sibi voluerit, quum alteri difficultati hanc alteram subiiceret: κενὴ δὲ καὶ ἡ πίστις ὑμῶν. Si enim vocabulo κήρυγμα

notio vulgaris tribuenda est, idem sibi postulat vocabulum *πίστις*. Atque hanc interpretationem commendant vss. 2 et 17. Ergo sensus huius membri est: *sequitur vero, vanam etiam esse fidem, quam Euangelio habetis.* Particulam *δέ*, quam TISCHENDORFIUS antea cum LACHMANNO ex oratione expunxerat, nuper ei haud sine causa restituit.

Vers. 15.

Surgit oratio tertium commemorans, quod sequitur, si CHRISTUS in vitam non revocatus est. Quare LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS, quibuscum consentit MEIJERUS, distinctionem Editionis Receptae haud temere correxerunt *puncto*, quod inter hunc versum et praecedentem interpositum est, in *comma* mutando. Malim tamen, auctore TISCHENDORFIO in Editione posteriori, *colon* pro eo substituere, quoniam prima conclusio: *κενὸν ἄρα καὶ τὸ κήρυγμα ἡμῶν* cum altera: *κενὴ δὲ καὶ ἡ πίστις ὑμῶν* arctius cohaeret, quam haec cum tertia: *Εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ.* Non intelligo autem, cur WETTIUS scribere potuerit, tertium illud niti sequentibus: *ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν* etc. quemadmodum utrumque *κενὸν — πίστις ὑμῶν* nitatur praecedentibus. Sequentia enim illa non incipiunt a Particula conditionali *εἰ*, nec verba *εὑρισκόμεθα δὲ* cet. sensum praebent tolerabilem, nisi ad Apodosin, a Protasi: *Εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται* pendentem, referuntur. Iis vero huc relatis, nemo dubitare poterit, quin optime cohaereat oratio. Libri veteres, qui a receptis *δὲ καὶ* vario modo discedunt, prudentem iudicem non movebunt ad mutationem faciendam. Nec tralatitium illud,

verbum: εὑρίσκεσθαι in Graecorum scriptis saepe pro εἶναι positum esse, quod olim, praeter alios, effecisse videbatur GATAKERUS [1]), et, recentiori memoria, KRAUSIUS et FLATTUS repetierunt, hodie quis paulo intelligentior probabit. Ubique locorum alterum (εἶναι) *rei naturam* vel *conditionem* denotat, alterum (εὑρίσκεσθαι) *illud, quod de ea compertum est* vel *cognoscitur* [2]). Hîc autem a PAULO de industria scriptum est εὑρισκόμεθα, ut *Corinthios* doceret, quam clare Apostolorum culpa, si CHRISTUS non rediisset in vitam, omnium in oculos incurreret. Formulae ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ notionem deseruisse BILLROTHUM, quum interpretaretur eam: *falsi testes, quos habet Deus*, iam viderunt MEIIERUS et WETTIUS. Sed eam quoque non intellexit HEIIDENREICHIUS, hîc „homines, qui falso se profiterentur legatos divinos, testes resurrectionis CHRISTI, ab ipso Deo ad hoc, quod agerent, negotium vocatos et constitutos" notari contendens. Similiter KNAPPIUS, KRAUSIUS, FLATTUS, alii. Nec rem acu tetigit MULLERUS, inter ψευδεῖς μάρτυρας et ψευδομάρτυρας ita distinguens, ut altero significentur: *qui falsum testimonium dicunt*, altero: *qui mentiuntur se esse testes*. Distinctio enim sic facienda est, ut illud proponat, *quales testes sint*, hoc vero, *quid testes agant*. Rectius iam CALVINUS, hanc formulam dupliciter explicari posse monens: „vel, quod falso Dei nomen praetexuerint mentiendo, vel, quod testificando, quod a Deo acceperant, mendaces deprehendantur," hoc illi praetulit. Atque eodem modo interpretantur RÜCKERTUS, MEIIERUS, WETTIUS. Utique scribendum non esse *homines, qui mentiuntur se testes Dei esse*, sed *homines, qui de Deo*

---

1) Ad MARC. ANTON. Lib. IX. Cap. 9.

2) Cff. WINERUS. p. 700, 701 et quae disputavi in *Comm.* c. p. 162, 228, 229.

testantur, quod falsum est, docent linguae Analogia, usus loquendi et oratio contexta. Secundum *linguae* enim *Analogiam* Compositorum, quale ψευδομάρτυρ est, discrimen pendet a notione vocabuli, in quod desinunt. Si haec Passiva est, significant illa, *quales homines sint*, si Activa est [1]), *quid homines agant*. Alterum cernitur in ψευδάδελφος, ψευδαπόστολος, ψευδόχριστος, alterum in ψευδηγόρος, ψευδοεπής, ψευδολόγος, etiam in ψευδοδιδάσκαλος et ψευδοκατήγορος, quae exempla WETTIUS attulit. Huic autem distinctioni non obstat notissimum illud ψευδοπροφήτης: hoc enim desinit in vocabulum, cuius Activa notio in Passivam transiit. *Usus loquendi* quis sit, perspicue nobis ostendit *Matth.* XXVI: 60, ubi verba πολλῶν προσελθόντων ψευδομαρτύρων explicanda sunt: *quum multi advenirent, qui falsa testarentur*, a nemine vero explicabuntur: *quum multi advenirent, qui se falso testes esse dicerent*. Quod vetant quoque affinia ψευδομαρτυρία et ψευδομαρτυρεῖν vs. 59. *Marc.* XIV: 56, 57. *Oratio* denique *contexta*, quum sic incipiat: ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, luculenter docet, superiori ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ nihil aliud denotari quam *homines, falsum de Deo testantes*, si CHRISTUS in vitam non rediit. Ergo mens PAULI haec est: *Deprehendimur vero etiam homines esse, Deo affingentes, quod falsum est.*

Hoc autem Apostolus sic explicare incipiens: ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, BEZA interprete, dicere voluit: *Quod de Deo testati sumus*. Atque hanc interpretationem, quae placuit etiam STEPHANO aliisque, nuper WETTIO, ut defenderent RAPHELIUS, PALAIRETUS, MUNTHIUS, ex scriptoribus exteris varios locos congesserunt. Sed nihil aliud probarunt, quam

---

[1]) *Observat. Philol. ex* DIOD. *Sic. coll.* ad h. l.

Praepositionem κατά in veterum libris haud raro hanc potestatem habere, ut Latinae *de* convenire videatur; quaestionem, quomodo illa sumenda sit, ubi subiecta est verbo μαρτυρεῖν, ut bene iam vidit KNAPPIUS, reliquerunt intactam. Hoc vero perspicue intelligitur ex usu compositi καταμαρτυρεῖν *Matth.* XXVI: 62. XXVII: 13. *Marc.* XIV: 60, ubi vis orationis infringitur, nisi Graeca σου καταμαρτυροῦσι interpretamur *adversus te testantur.* Eandem notionem a MATTHAEO, quum Cap. XXVI: 59 scriberet: ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, Praepositioni κατά impertitam esse, cogimus ex loco simili *Marc.* XIV: 55: ἐζήτουν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ μαρτυρίαν, quae verba sine dubio reddenda sunt: *Quaerebant adversus* IESUM *testimonium*, et sic quoque docent, sequentia (vss. 56, 57): ἐψευδομαρτύρουν κατ' αὐτοῦ nihil aliud quam hoc sibi velle: *Falsum testabantur adversus eum.* Neque ulla causa est, cur hinc discrepare censeatur quod legimus in Decalogo *Exod.* XX: 16. *Deut.* V: 18. Immo Praepositionem κατά ibi etiam respondere Latinae *adversus*, apparet, nisi fallor, ex comparatione *Deut.* XIX: 15—18, ubi duae formulae: μαρτυρῆσαι κατὰ ἀνθρώπου et ἀντέστη κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ ita exstant, ut altera inserviat ad alteram explicandam. Quae quum ita sint, sine scrupulo assentior LUTHERO, ESTIO, GROTIO et plerisque interpretibus recentioris memoriae [1]), PAULI mentem esse: *quod testati sumus adversus Deum.* Cum eo autem bene cohaerent sequentia: ὅτι ἤγειρε τὸν Χριστόν· ὃν οὐκ ἤγειρεν, εἴπερ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται: i. e. *eum suscitasse Christum; quem non suscitavit, si verum quidem est,*

---

[1]) Audiendos non esse, qui Particulam κατὰ cum CALVINO pro ἀπὸ positam esse, aut verba κατὰ Θεοῦ cum KRAUSIO explicari posse putent *secundum iussum Dei*, non opus est, ut ostendam.

quod contenditur, nullos mortuos suscitari. Vocabulo *Χριστὸν colon* subiiciendum esse, nemo facile negabit. Breviloquentiam autem, convenienter notioni Particularum εἴπερ ἄρα, ex praecedentibus explicavi, uti aliis in locis fieri debet [1]). Sed mecum satis consentiunt Interpretes recentissimi RÜCKERTUS, MEIIERUS, MULLERUS, WETTIUS et OSIANDER.

Vers. 16.

Ad culmen perducta oratio nunc descendit ad ea, a quibus vs. 13 gradationem fecit, ut mox iterum assurgat. Verba *Εἰ γὰρ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται*, nemo dubitabit, quin Latine reddenda sint: *Si enim nulli mortui in vitam revocantur, ne* CHRISTUS *quidem in vitam revocatus est.* Uti autem posterius membrum plane eadem continet, quae vs. 13 leguntur, ita prius eundem habet sensum, praeterquam quod Particula δέ in γάρ mutata est, quoniam ab adstringendis proxime praecedentibus initium capit nova ratiocinatio.

Vers. 17.

Praecedentibus adstrictis PAULUS duo memorat absurda, quae hinc sequuntur. Alterum sic proponit: *Εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, ματαία ἡ πίστις ὑμῶν.* Iam vero quaestio est, an haec mera sit repetitio eorum, quae vs. 14 leguntur. Quod quum nonnulli veterum opinarentur, eo permoti esse videntur ad omittenda verba: *ματαία ἡ πίστις ὑμῶν.*

---

[1]) Cff. VIGERUS. p. 514 et HARTUNGIUS. T. I. p. 343, 440, 441.

Recentiori autem memoria KNAPPIUS, aliorum vestigiis insistens, subtilitatem reprehendit Interpretum, qui Adiectivum ματαία a superiori κενῇ notione differre autumant. Sed cur, quaeso, Apostolus, si utroque loco plane idem docere volebat, nunc illud pro hoc substituit? Orationis, scilicet, variandae causa, an oblivione captus vocabuli, quo vs. 14 usus erat? Quis tandem paulo intelligentior est, qui alterutrum contendere ausit? Nihil aliud igitur superesse videtur, quam ut alterum ab altero distinguamus. Quod hodie, SLICHTINGIUM, GERDESIUM aliosque secuti, fieri iubent plerique Interpretum, uti RÜCKERTUS, MEIIERUS, MULLERUS, WETTIUS [1]). Ultro quidem largior, Adiectiva κενός et μάταιος tam affinia esse, ut illi, quippe latius patenti, eadem notio saepe in libris Veterum atque huic tribuatur. Exemplo esse possunt hoc ipso in Capite vss. 10 et 58. Sed hinc non sequitur, in oratione, ubi alterum alteri subiectum est, inter utrumque nihil interesse. Frustra KNAPPIUS provocavit ad *Iob.* XX: 18, ubi Interpretem, nisi distinctionem fecisset, scripturum non fuisse puto: *Εἰς κενὰ καὶ μάταια ἐκοπίασε.* Similiter alius Interpres distinctionem fecisse censendus est *Ies.* LIX: 4, ubi legimus: *Πεποίθασιν ἐπὶ ματαίοις καὶ λαλοῦσι κενά.* Itaque PAULUS, ut vs. 14 *quod ipsum vanum est,* sic vs. 17 *quod homini vanum est* vel *ei nullo modo prodest,* memoravisse videtur. Ad hanc autem notionem vocabuli ματαία probandam an valeant 1 *Cor.* III: 20 aliique loci, a MEIIERO allati, minus mihi compertum est. Maioris ponderis fortasse est, quod habet SOPHOCLES [2]):

Θυμῷ ματαίῳ μὴ χαρίζεσθαι κενά.

[1]) TITTMANNUS etiam, *de Synon. N. T.* Lib. I. p. 173.

[2]) *Electr.* vs. 331.

Sed Apostolo ante oculos obversatum esse, quod lectoribus suis *inutile* esset, luculenter docent sequentia: ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν. Inutilem vero quum vocet πίστιν, a me impetrare non possum, ut partes eorum sequar Interpretum, uti IEHNII, FLATTI, HEIIDENREICHII, qui hoc vocabulo aliud quid denotari putant, quam vs. 14. Nam, secundum interpretandi leges, orationis series postulat, ut *eandem fidem*, quae vs. 14 *vana esse* dicitur, hoc loco *hominibus inutilem* dici existimemus. Quare Graeca interpretari non vereor: *nihil emolumenti percipitis inde, quod Euangelio fidem habetis.*

Alterum absurdum, quod sequitur: ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν, perperam *Vulgata*, cui BEZA aliique adsentiuntur, per Particulam *enim* cum praecedenti copulat. Hoc enim sibi constat, quamquam inserviens ad illud explicandum. Interpretatione IEHNII et KRAUSII: *adhuc in errore versamini*, nihil magis alienum est a mente PAULI, cui, aeque ac ceteris scriptoribus Novi Testamenti ἁμαρτίαι sunt *peccata* i. e. *commissa* vel *omissa contra leges Divinas*, nusquam vero *errores*, quam notionem BRETSCHNEIDERUS huic vocabulo temere affinxit *Ioan*. VIII: 46. XVI: 8, 9. Multo melius se habet interpretatio GROTII: *Si* CHRISTUS *ex morte non redierit in vitam, incertos esse Corinthios de venia peccatorum, quam* CHRISTUS *promisit Dei mandato.* Verum illa in hanc quoque non quadrat orationem, ubi quaestio non est, quid Corinthiis persuasum fuerit, sed quid iis acciderit. Comparandi sunt loci, in quibus Verbo εἶναι Praepositio ἐν cum Nomine subiecta est, uti *Luc*. XXIII: 40. 2. *Cor*. XIII: 5. 1 *Thess*. II: 6. Hinc nempe apparet, arctam esse necessitudinem, quam PAULUS inter Epistolae suae lectores eorumque peccata intercedere moneat, si CHRISTUS non redierit in vitam. Et si animadvertimus,

Apostolum in Plurali scripsisse ταῖς ἁμαρτίαις et huic Nomini adiecisse Pronomen ὑμῶν [1]), vix dubitari potest, quin sibi voluerit: *nondum peccatis, quibus olim obstringebamini, liberati estis.* Quod quamquam plus uno modo explicari potest, non dubito tamen, quin ad PAULI mentem maxime accommodatum sit scribere: *Nondum cum Deo reconciliati peccatorum vestrorum venia potiti estis.* Cff. disputata ad vs. 3.

Vers. 18.

Utrique absurdo, inde, quod CHRISTUS in vitam non revocatus est, sequenti, tertium PAULUS addit: Ἄρα καὶ οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ ἀπώλοντο. Hoc enim non omnino pendere a proxime praecedentibus ἔτι ἐστὲ cet. uti ESTIUS aliique putarunt, WETTIUS bene intelligi monet ex Particula καὶ, quae novam hîc conclusionem fieri docet. [2]). Miseria nempe *viventium* commemorata, nunc transit Apostolus ad ostendendum, quid homines *fato defuncti* patiantur, si CHRISTUS mortem superasse censendus non est. Verbum ἀπώλοντο KRAUSIUS, KNAPPIUS, PALMIUS interpretantur *spe frustrati sunt* vel *speratae salutis iacturam fecerunt.* Haud ignoro, viros clari nominis, CHRYSO-

---

[1]) Minus simile igitur, quam primo adspectu videtur, revera est *Gen.* XLII: 21: *Ναὶ, ἐν ἁμαρτίαις γὰρ ἐσμεν περὶ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν*, quem locum FLATTUS aeque atque *Esr.* IX. 7, 15 conferri iussit. Longius recedit formula ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι *Rom.* III: 9, a WETTIO allata.

[2]) Ex Particula itidem ἄρα, unde incipit oratio, id, quod hîc proponatur, aliud esse apparet, quam supra propositum. Cff. *Rom.* X: 17. *Gal.* V: 11, ubi itidem discessum est a more Graecorum, quos huic Particulae unum plurave vocabula praeponere docent MATTHIAE p. 1462, 1463 aliique.

STOMUM, OECUMENIUM, THEOPHYLACTUM, iam olim eandem similemve viam ingressos esse. Sed scite BRIËTIUS [1]) se dubitare monet, an verbum ἀπόλλυσθαι usquam, ubi de rebus post mortem sermo est, sic intelligi possit. Videamus, an tutius sit Latine scribere *interierunt*, cuiusmodi interpretatio ESTIO, CRELLIO, BENGELIO, SEMLERO, multis aliis placuit. *Intereundi* notionem verbo ἀπόλλυσθαι convenire, docent loci, in quibus vita hominum exstingui dicitur, uti *Luc.* XI: 51. *Act.* V: 37. 1 *Cor.* X: 9, 10. Exempla Veteris Testamenti praebent *Lev.* VII: 10, 11, 15, 17. *Iob.* V: 15. *Psalm.* LXXII: 19. *Ies.* XI: 13. XXVI: 14, ubi Deus homines, qui non reviviscent, dicitur ἀπολέσαι. Praesertim comparari meretur quod legimus apud ATHENAGORAM [2]): *Οὐ γὰρ καὶ ἡμᾶς ὡς πρόβατα ἢ ὑποζύγια, πάρεργον, καὶ ἵνα ἀπολοίμεθα καὶ ἀφανισθείημεν, ἔπλασεν ὁ Θεός.* Quod in memoriam revocat iocum, quem boves albi cum Marco Caesare egisse traduntur, ei, quum expeditionem contra hostes imperii movebat, hac voce valedicentes: *Ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα* [3]). Sed recte ante multos annos iam monuit Anonymus [4]), in Novi certe Testamenti libris nullum esse locum, ubi *homo* hoc sensu ἀπόλλυσθαι dicatur. Deinde Corinthiis, sectatores CHRISTI in vitam revocatum iri negantibus, temere affingitur sententia, mortuos plane interiisse. Nec convenienter placitis eorum verbum ἀπώλοντο explicari potest nisi scribamus: *in Gehennam coniecti sunt;* quae interpretatio, ut iam antea MOSHEMIO aliisque placuit, sic

---

[1]) *Godg. Bijdr.* l. c. p. 353.

[2]) *Leg. pro Christ.* Cap. 31. p. 309 MAR.

[3]) AMMIAN. *Marcell.* Lib. XXV. Cap. 4.

[4]) *Bijdragen tot de Beoef. en Gesch. der Godgel. Wetenschapp* Tom. III. p. 369.

nuper a RÜCKERTO, MEIIERO, WETTIO, OSIANDRO commendata est. Cff. *Matth.* VII: 13. X: 28. *Ioann.* XVII: 12. *Rom.* II: 12. 1 *Cor.* I: 18. 2 *Cor.* II: 15. *Phil.* III: 19, ubi verbis *ἀπόλλυσθαι* et *ἀπώλεια* proponitur miseria eorum, qui, sive hac in vita, seu post hanc vitam, peccatorum suorum luunt poenas. Hanc autem interpretationem insigniter confirmari videbimus, si animadverterimus cum MEIIERO, PAULUM scribentem *ἀπώλοντο* respexisse ad superiora: *ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.*

Quaestio nunc est, quinam sint *οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ?* Participium *κοιμηθέντες* aeque ac verbum *ἐκοιμήθησαν* vs. 6 interpretari debemus: *qui mortis somnum inierunt.* Nam, quamvis PAULUS Aoristo *κοιμηθέντες,* non Perfecto *κεκοιμημένοι,* uti vs. 20, usus est, quoniam homines in mente habebat, quorum alii post alios fato defungebantur, Aoristo tamen illi cum BOSVELDIO notionem Praesentis tribuere non licet, uti apparet ex sequenti *ἀπώλοντο,* quod Vir Doctus temere reddidit: *se ipsi perdunt.* Recte vero ille adiuncta *ἐν Χριστῷ* explicuit: *in communione* CHRISTI, quae notio etiam vs. 22 et ubique huic formulae vindicanda est. A via igitur aberravit GROTIUS, eam, THEODORETO et OECUMENIO, etiam CHRYSOSTOMO, ducibus, cum formula *διὰ Χριστόν* confundens et homines laudari putans, *qui* CHRISTI *causa mortem obierunt.* Multo peius THEOPHYLACTUS Praepositioni *ἐν* duplicem significationem affinxit scribendo: *Τουτέστιν, οἱ διὰ τὸν Χριστὸν ἀποθανόντες* cet. *καὶ πάντες δὲ ἁπλῶς, οἱ ἐν τῇ κατὰ Χριστὸν πίστει,* quod PELAGIO etiam placuisse videtur. Summo autem iure MEIIERUS et WETTIUS, uti *Martyrum* hîc rationem non habendam esse monent, ita KNAPPIUM reprehendunt, qui, GERDESIUM aliosque sequens, PAULUM pios Dei cultores, tam *ante,* quam

post CHRISTI *adventum* mortuos, commemorasse contendit. Haec vero opinio satis refellitur, si tenemus, illud *in communione* CHRISTI quidem *fidem* denotare *in* CHRISTO *positam*, sed nullam aliam *fidem*, quam *Evangelio*, quod ab Apostolis annunciatum est, *commendatam*, seu *τῶν ἀποθνησκόντων ἐν Κυρίῳ*, Apoc. XIV: 13, quem locum GURLITTUS opportune attulit. Quae quum ita sint, auctor sibi voluisse censendus est: *Atque hinc sequitur etiam, eos, quorum alii post alios in communione* CHRISTI *mortis somnum inirent, in Gehennam coniectos esse.* Absurdi autem, ut notavit ESTIUS, gravitatem eo auxit, quod non scribebat *οἱ νεκροὶ* vel simile quid, sed *οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ*, quibus in verbis *spes* latet *melioris vitae*, in CHRISTI communione concepta. Ceterum RÜCKERTUS, si argumentationis vim assecutus esset, probitate eius *Rhetorica* concessa, *Logicam* non negasset. Nam formulam *εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται*, unde haec etiam conclusio pendet, PAULUS, secundum sententiam eorum, quibuscum disputabat, sic intellexit: *si vero* CHRISTUS *in vitam non revocatus est, quia nulli mortui in vitam revocantur.*

Vers. 19.

Quartam, quae a superioribus: *εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται* pendeat, consequentiam absurdam hîc proponi, quum RÜCKERTUS satis certum aït, multos, tam antiquiores, quam recentiores, secum consentientes habet Interpretes, etiam WETTIUM, qui Particulae copulantis desiderium explicat ex animi affectione. Sed orationis forma, quae hîc legitur, ab omni conclusione, vss. 14, 15, 17, 18 praecedente, longius differt, quam ut, me iudice, Interpretes illi audiendi

sint. Sententiam enim hîc reperimus absolutam, Protasi et Apodosi constantem et incipientem ab eodem *si*, quod PAULUS vss. 14, 17 assumtioni, CHRISTUM *in vitam non rediisse*, praefixit. Frustra autem WETTIUS, ut causam suam tueatur, provocat ad *Rom.* VII: 24, a quo loco Particula copulans aliena est, quoniam Apostolus ibi non ratiocinatione utitur, sed exclamatione. Ergo hoc versu totius disputationis praecedentis vss. 12—18 continetur conclusio, quam, si quis etiam cum BOSVELDIO *exclamationem* appellare vult, equidem non reprehendam.

Hoc autem posito cadere quoque necesse est sententiam RÜCKERTI, hanc arctam inter vss. 18 et 19 intercedere necessitudinem, ut altero *mortui* spectentur, altero *viventes*, et *omnes quidem nemine excepto*, *verumtamen quales habendi sint ad vitae finem*. Cadit itidem, quod placuit HEIIDENREICHIO, utrique vs. 19 membro cogitando adiicienda esse verba ἡμεῖς οἱ ζῶντες. Sed se ipsa haec et huiusmodi evertit interpretatio. Credibile enim non est, Apostolum, si homines nunc secum viventes mortuis opponere vellet, verba illa eorumve similia omisisse. Deinde huic versui nihil inest, quod eandem prodat Antithesin, qua viventes et mortui supra inter se distinguuntur. Nec desiderium quoque Pronominis ἡμεῖς a PAULO relictum fuisse putaverim, si haec conclusio vel exclamatio, ut GROTIO, BOSVELDIO, PALMIO aliisque visum est, praecipue vel omnino ad Apostolos referenda esset. Cf. vs. 30. Immo generatim, ut vulgaris se habet sententia, denotantur *homines, quotquot ad* CHRISTI *communionem accesserunt*.

Iam prioris membri: *Εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μόνον*, sensus maxime pendet ab interpretatione Adverbii *μόνον*, quod MORUS, GURLITTUS, RÜCKERTUS referunt ad praecedentia *ἐν*

Χριστῷ. Idem sibi voluit HASIUS, orationem sic explicans: *Quandoquidem hac in vita in* CHRISTO *tantum spem ponimus*. Atqui, si antiquissimis libris fides habenda est, oratio sic constitui debet: *Εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἐν Χριστῷ ἠλπικότες ἐσμὲν μόνον*, ut iam edidit HARWOODUS [1]). Unde sequitur vocabulum *μόνον* vix aut ne vix quidem cum remotioribus *ἐν Χριστῷ* coniungi posse. Ipse RÜCKERTUS auctorem mentem suam melius enunciaturum fuisse aït, si scripsisset *ἐν Χριστῷ* — — — *μόνῳ*. HASII vero interpretatio stare nequit, quoniam Particulae *εἰ* notionem alienam affingit *quandoquidem*. Ceterum Traiectionem vocabuli *μόνον* faciendam esse ad vocabulum *Χριστῷ*, vel *ζωῇ*, ut placet aliis, probari nequit ex *Rom.* V: 6, ubi Particula *ἔτι* connectenda est cum Participio *ὄντων*. Nec sane, ad commendandam vulgarem sententiam, hanc requiri structuram: *ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ μόνον*, maioris ponderis est *Rom.* IV: 16, quem locum post BEZAM, KNAPPIUS, FLATTUS, alii attulerunt. Ibi enim Adverbium, quamvis pertinet ad Articulum *τῷ*, Nomini *νόμου* subiectum est, quoniam hoc postulabat loquendi usus. Sed nulla alia de causa plerique Interpretes hunc nexum orationi tribuisse videntur, quam quod nesciebant, quomodo se sine eo expedirent. Multo facilior certe meliorque est Interpretatio eorum, qui vocabulum *μόνον* ad totum, quod praecedit, orationis membrum referunt, uti, praeeuntibus MARCKIO [2]), WOLFIO, GERDESIO, MEIIERUS et MÜLLERUS, qui recte etiam inde, quod Pronomen *ταύτῃ* Nomini *ζωῇ* postpositum est, praecipuam orationis vim verbis *ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ* non inesse arguunt. Nam frustra

---

[1]) *The new Testament, collated with the most approved manuscripts.* cet. ad h. l.

[2]) *Exercitat. Scripturar.* XXII. § 11. p. 638, 639.

WETTIUS, contrariam in partem, provocat ad *Eph.* I: 21, ubi vocabulum τούτῳ de industria subiectum est praecedenti αἰῶνι, ut sequens μέλλοντι ei responderet. Verumtamen nulla dubitandi causa est, quin ceteris omnibus praestet structura, qua Adverbium μόνον, uti *Gal.* I: 23 cum verbis ἀκούοντες ἦσαν connexum est, ita cum proxime adiacentibus ἠλπικότες ἐσμὲν cohaereat. Nihil enim obstat, quominus oratio sic ordinata explicetur: *Si hanc vitam agimus, nihil aliud quam spem habentes, in* CHRISTI *communione collocatam.* Quod, quamvis aliter sentit OSIANDER, me iudice, verbis accommodatius est, quam interpretatio WETTII, qui orationis gravitatem distribuit inter formulas ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ et ἠλπικότες ἐσμέν. Perfectum autem ἠλπικότες inservit ad notionem temporis praeteriti et praesentis coniungendam, uti 2 *Cor.* I: 10. 1 *Tim.* IV: 10. V: 5 et alibi. Et huic Participio adiectum est verbum ἐσμέν ad indicandum *statum, in quo versantur illi, qui spem habent in* CHRISTO *collocatam,* uti bene monuerunt MEIIERUS et scriptores ab eo laudati [1]).

In altero huius versus membro: ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων ἐσμέν, ERASMUS iam Comparativum pro Superlativo positum esse putavit, quem BEZA multique alii secuti sunt. Sed, missa quaestione, an alibi haec graduum permutatio exstet, ab hoc loco certe aliena est, quoniam sine Articulo οἱ auctor scripsit ἐλεεινότεροι, ut recte monuit BENGELIUS, quocum consentiunt HEIIDENREICHIUS et recentiores Interpretes. Homines igitur Christiani *ceteris omnibus commiseratione* dicuntur *digniores* [2]). Nimirum hac in vita, ubi variis malis et aerumnis CHRISTI causa affliguntur, se vana spe mulcent, et post mortem in Gehennam con-

---

[1]) Cf. etiam WINERUS. p. 411.

[2]) Cf. BOS, *Exercitat. Philol.* ad h. l.

iiciuntur ad peccatorum suorum poenas luendas. Verba autem Apostoli populariter sumenda neque adeo urgenda sunt, ut sententia ei affingatur, homines, quos CHRISTUS ad pietatis et virtutis studium perduxerit, impiis, quin etiam bestiis infeliciores esse. Sed aliena quoque PAULO obtruduntur, si quis cum RÜCKERTO contendit, eum in devia Eudaemonismi vulgaris descivisse.

Vers. 20.

Iam disputatione eo perducta, ut doctrina CHRISTUM in vitam rediisse omni dubio superior haberi possit, PAULUS hoc versu ostendere incipit, quid inde sequatur, quod attinet beatum hominum Christianorum in vitam reditum. Verbum *ἐγένετο* librarii hunc in locum importarunt, quod sine eo explicare nesciebant formulam *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων*. Ita vero auctori affinxerunt Asyndeton, quod vel ex graviori animi motu, vel ex scribendi festinatione oriri solet, sed ab hac tenui et sedata ratiocinatione alienum est. Hoc intelligens BEZA, quem secuti sunt interpres vetus vernaculus et PALMIUS, duo huic versui tribuit membra, Particula *et* ei suopte ex ingenio intrudenda. Sed rectissime GRIESBACHIUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS, LACHMANNUS, TISCHENDORFIUS cum interpretibus recentioribus de eo consenserunt, verbum *ἐγένετο* hinc expellendum esse. Frustra autem et contra librorum veterum et praestantissimorum fidem ad illud retinendum WOLFIUS, MATTHAEUS aliique disputarunt.

Particulae *νυνὶ δέ*, quae ad progressionem vel conclusionem orationis indicandam inserviunt, vertendo reddendae sunt *iam vero*, ut *Rom.* III: 21 aliisque locis, quos attulit GROTIUS. Optime THEOPHYLACTUS men-

tem auctoris explicuit scribendo: καὶ τὰ ἄτοπα ταῦτα οὐ συμβήσεται. Nec dubitandum est, quin PAULUS verbis: Νυνὶ δὲ Χριστὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν sibi voluerit: *Iam vero constat*, CHRISTUM *in vitam rediisse*. Et hinc quidem apparet, iure meritoque RÜCKERTUM et MEIJERUM contradicere interpretibus, qui Apostolum vss. 20—28 excursum fecisse putant. Sed magna quaestio est, quomodo intelligenda sint sequentia: ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων. Vocabulum ἀπαρχή iam auctor *Glossarii*, quod edidit ALBERTIUS, cum multis veterum interpretatus est πρῶτος. Secuti sunt recentiori memoria VALCKENARIUS, KRAUSIUS, GURLITTUS, alii. Quod BRETSCHNEIDERUS defendere conatus est provocando, cum ad vs. 23, tum ad *Rom.* XVI: 5. 1 *Cor.* XVI: 15. *Iac.* I: 18, quibus in locis, aeque atque alibi, significantur *primitiae*, seu *illi, qui primitiarum imaginem referunt*. Imago petita est a frugum et cuiusvis generis donorum primitiis, Deo consecrandis, quas interpretes Veteris Testamenti ἀπαρχάς dixerunt *Exod.* XXIII: 19. *Lev.* XXIII: 10. *Num.* XVIII: 12, 29 al. Cur autem CHRISTUS a PAULO cum primitiis comparetur, nunc explorandum est. Haud pauci interpretes cum OSIANDRO contenderunt, CHRISTUM non minus *dignitatis*, quam *ordinis* causa ἀπαρχήν vocari. Nonnulli nihil aliud quam *dignitatem* significari putarunt, ut Vir Doctus inter nostrates, qui vocabulo Graeco notionem *capitis* vel *gubernatoris* tribui iussit [1]). Neque ignoro, quod iam monuit *Scholiastes* EURIPIDIS [2]): Ἀπαρχὴ ἐλέγετο οὐ μόνον τὸ πρῶτον τῇ τάξει, ἀλλὰ καὶ τὸ πρῶτον τῇ τιμῇ, ὅθεν καὶ ἀπαρχὰς καρπῶν προσῆγον οἱ παλαιοί. Sed solius *ordinis* rationem hîc habendam esse, argu-

[1]) VAN SENDEN, *Verded. van Bijbel en Openb.* Tom. II. Pars. 1. p. 129.

[2]) Ad *Orest.* vs. 96. Tom. IV. p. 358. MUSGR.

mento mihi sunt Veteris Novique Testamenti libri, qui, quamvis saepe res hominesve *praestantes* titulo *primitiarum* insigniunt, nusquam tamen, quantum memini, hanc praestantiam ipso vocabulo ἀπαρχή denotant. Deinde formula ἀπαρχὴ *Χριστὸς* vs. 23 et verba ei cum Particulis ἔπειτα et εἶτα substrata postulant, ut *ordinis* tantum notio vocabulo illi tribuatur. Ergo, uti primitias, secundum naturae ordinem, messis sequitur, ita PAULUS CHRISTUM hoc vs. ἀπαρχήν dixit ad *primum illum* significandum, *qui alios sequentes praecederet*. Recte iam CHRYSOSTOMUS: *Εἰ δὲ ἀπαρχὴ, καὶ τούτους ἀναστῆναι δεῖ*, quocum plerique Interpretes consenserunt. Neque aliud suadent loci, in quibus CHRISTUS πρωτότοκος dicitur, *Col.* I: 18. *Apoc.* I: 5. Participium quod attinet κεκοιμημένων, haud secus fallitur MEIERUS, ubi ex vs. 22 cogit, illud ad *omnes, qui mortui sunt*, referendum esse, quam SLICHTINGIUS, qui ei cogitando adiici iubet *in* CHRISTO. Generatim quidem auctor *homines* proposuit *mortis somno occupatos*, sed eum *solos* spectasse CHRISTI *sectatores*, tam ex omni, nisi fallor, praecedenti et sequenti oratione, quam ex connexo ἀπαρχὴ, luculenter apparet. Dictu quoque difficile non est, quomodo formula ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων cohaereat cum superioribus. His nempe, ut bene vidit RÜCKERTUS, per Appositionem adiecta est ad ea sic explicanda: *et ita quidem, ut mortis somno occupatos praecedat, quemadmodum primitiae messem*. Eodem plane modo Appositio saepe ad orationem explicandam inservit, uti 2 *Thess.* I: 5. *Iac.* V: 10. 1 *Pet.* II: 5, quod ad monita WINERI [1]) complenda notari meretur. Ceterum huius loci, quam attulimus, interpretatio sic comparata est, ut nullam difficultatem pariat narratio Euangelistarum, LAZARUM

---

[1]) P. 421 sqq.

aliosque, ante CHRISTUM, in vitam rediisse. Nemo enim eorum in vitam rediit, ut, aeque ac CHRISTUS, ἀπαρχὴ esset τῶν κεκοιμημένων vel de eo cum PAULO *Act.* XXVI: 23 dici posset πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν φῶς μέλλει καταγγέλλειν τῷ [τε] λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι, quem locum etiam OSIANDER, quamquam alio consilio, attulit. Ergo non opus est cum MEIIERO dicere, primum hunc esse, qui *ad vitam immortalem* resuscitatus sit, quod OECUMENIUS iam ad vs. 23 adscripserat.

Vers. 21.

Hunc versum PAULUS, probare volens quod posuit supra, cum praecedenti per Particulam γὰρ connectit. Particulam ἐπειδὴ RÜCKERTUS simul *causam* et *tempus* denotare monet. BOSVELDIUS se orationem ita explicare non posse aït, ut via et ratione procedat, nisi illa vertendo reddetur *postquam*. Hanc autem ut ei vindicet notionem, abutitur iis, quae exstant *Gen.* XLI: 39 et 1 *Macc.* XV: 3, ubi subiecta οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος cet. et βούλομαι δὲ ἀντιποιήσασθαι cet. clarissime ostendunt, scribendum esse *quoniam*. Atque hanc interpretationem ut scripta Novi Testamenti commendant [1]), ita postulant loci Epistolarum Pauli, in quibus ἐπειδὴ legimus, nempe 1 *Cor.* I: 21, 22. XIV: 16. *Phil.* II: 26 [2]). Quae quum ita sint, in priori membro: Ἐπειδὴ γὰρ δι᾽ ἀνθρώπου ὁ θάνατος [3]) Apostolus

---

[1]) *Luc.* VII: 1 tantum vocabulum ἐπειδή, quod auctori reddidisse videntur LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS, convenit Latino *postquam*, quam notionem alibi etiam reperiri monent MATTHIAE. p. 1193 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 533 aliique.

[2]) Cf. HARTUNG. Tom. I. p. 259.

[3]) Librarii, quos OSIANDER sequitur, Articulum ὁ delevisse videntur, ut prius membrum posteriori omnino responderet.

sibi vult: *Quoniam enim per hominem mors est, seu, aliis verbis: Quoniam enim per hominem factum est, ut moriendum sit.* Temere enim GURLITTUS scripsit: *unius hominis culpa.* Et quidni potius cum MEIIERO et WETTIO orationi cogitando addemus verbum ἐστί, quod in posteriori quoque membro omissum est, quam longe quaesita illa εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθεν, quae HEIIDENREICHIUS, FLATTUS et RÜCKERTUS, post OECUMENIUM et multos alios, auctori ante oculos obversata esse putarunt? *Mortem* denique *naturalem* vocabulo θάνατος significari, inde iam intelligimus, quod illud superiori νεκρῶν respondet. Nec hoc tamen impedit, quominus cogitationi *mortis* cogitationem adiungere debeamus *miseriae* cum morte connexae. In posteriori membro, quum sine Articulo legatur tantum ἀνάστασις νεκρῶν, quod convenit vernaculo *eene opstanding van dooden*, Apostolus non spectavit *reditum illum mortuorum omnium*, quem vulgo appellare solemus: *de opstanding der dooden.* Sed Graeca: καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν, interpretanda sunt: *etiam per hominem factum est, ut beatus sit mortuorum in vitam reditus.* Oratio igitur, ut contra CALVINUM MEIIERUS bene monuit, *a causa mali effectus ad similem causam contrarii effectus* progreditur. Nec, si veram notionem vocabuli ἀνάστασις cum OSIANDRO aliisque interpretibus tenemus, video sane, quid ratiocinationi ex rei natura petitae insit, quod molestiam creet interpretibus. Inde vero, quod homini homo opponitur, offensionem tantum capere possunt, qui CHRISTUM talem fuisse putant Filium Dei, ut idem homo non esset.

Vers. 22.

Ratiocinationem versus praecedentis nunc adstringit

auctor comparatione ADAMI et CHRISTI, quam sic instituit: "Ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται. Utrique membro insunt, quae disputandi argumentum praebeant.

Et primum quidem quaestio est, quid sibi velint formulae ἐν τῷ Ἀδὰμ et ἐν τῷ Χριστῷ. Haud paucos ab antiquo fuisse novimus, qui eas interpretarentur *per* ADAMUM et *per* CHRISTUM. Atque sic iam PELAGIUS et OECUMENIUS, recentiori memoria etiam Summi Viri, uti ERASMUS et GROTIUS, haud ita pridem PALMIUS. Sed hodie refellere nihil attinet vagam illam et incertam agendi rationem in Praepositionum notione definienda, quam olim communem fere habuerunt, quotquot libris veterum explicandis navabant operam. Nulla sane reperiri potest causa, cur PAULUS illud ipsum, quod vs. 21 Particula διά significat, vs. proxime sequenti per Particulam ἐν enunciaverit. Haud minus levis, nisi multo levior est interpretatio KRAUSII: *inde a quo tempore* ADAMUS *morte occubuit* et *dum* CHRISTUS *in vitam rediit.* Nec vero assentiri possum MEIJERO, ubi Apostolum sibi voluisse contendit: *In* ADAMO et *in* CHRISTO *fundamentum positum est,* quo et moriendi nititur necessitas, et reditus mortuorum in vitam. Quid enim, quaeso, ad hunc sensum ex verbis eruendum, iuvat SOPHOCLIS illud: Ἐν σοὶ πᾶσ' ἔγωγε σῴζομαι [1]), quum in PAULI scriptis Novoque Testamento frustra, nisi fallor, quaesiveris locum, quo hanc interpretationem probes [2])? Immo formulae ἐν τῷ Ἀδὰμ et ἐν τῷ Χριστῷ nihil aliud denotare possunt quam *in communione* ADAMI et *in communione*

---

[1]) *Aiac.* vs. 519.

[2]) Cf. BLEEK, *der Brief an die Hebraër erläutert.* Part. II. pag. 14.

CHRISTI. Hanc similemve notionem post alios iis tribuerunt BOSVELDIUS, RÜCKERTUS, WETTIUS, OSIANDER. Et alibi [1]) me effecisse confido, loquendi usum postulare, ut eodem modo ubique accipiantur. Quod spectat etiam locos minus frequentes, in quibus Articulus Nomen praecedit, uti *2 Cor.* II: 14 *Eph.* I: 10.

Sed quomodo illa *in communione* ADAMI et *in communione* CHRISTI intelligenda sint, dirimi nequit, nisi rationem habemus Adiectivi πάντες, utroque in orationis membro exstantis. Et de eo quidem, an illud in priori generatim *omnes* denotet *homines*, satis inter se Viri Docti consentiunt. In posteriori vero alii *omnes* itidem *homines*, alii CHRISTI tantum *sectatores* spectari volunt. Hoc autem, praeter eos, quos WETTIUS memorat, CRELLIUS, SLICHTINGIUS, COCCEIUS, BOSVELDIUS, MEBIUS, HASIUS, HERINGA [2]), et plerique, nisi fallor, interpretes, tueri conati sunt, nuperrime GEORGIUS [3]) et OSIANDER; illud VLOTENIUS a KRAUSIO adeo probatum esse iudicavit, ut nullum relinqueretur desiderium. Atqui nec KRAUSIUS, neque OLSHAUSENIUS, MEIJERUS, WETTIUS aliive attulisse mihi videntur argumenta tanti ponderis, ut causam omnino vincerent. Etiamsi enim concedam, mortuos in vitam redituros spectari *Ioann.* V: 28, 29 et *Act.* XXIV: 15, ubi delendum est vocabulum νεκρῶν, probitatis tamen et improbitatis commemoratio vetat, quominus hi loci ad totum genus humanum, infantibus etiam et pueris inclusis, referri possint. Multo minus in aliis toti generi humano ἡ ἀνάστασις tribuitur. Sed si quis aliunde arguere vult,

---

[1]) *Comment. perp. in Ep. ad Phil.* p. 70, 107, 122 aliisque locis, quos commemorat Index. Cf. KOCH, *Comment. über den erst. Brief des A. Paulus an die Thessal.* p. 350.

[2]) *Quaestiones de vitiis Apostolorum et locis N. T. difficilioribus.* p. 86.

[3]) In ZELLERI *Theol. Iahrbücher.* Tom. IV. p. 11 sqq.

omnium hominum rationem hîc habendam esse, videat, quomodo explicet IESU et Apostolorum verba ad vs. 12 allata. Nec monere iuvabit, PAULUM, immortalitate CHRISTI tantum sectatoribus proponenda, suam ipsum argumentationem enervasse. Argumentationem enim nullo alio aggressus consilio, quam ut Epistolae suae lectoribus spem faceret beati in vitam reditus, satis habuit ostendere, audiendos non esse, qui spem illam infringere conarentur. Quamobrem vs. 21 non docuit, omnes mortuos in vitam redituros, sed, ut vidimus, *mortuos esse, quos beatus maneat in vitam reditus;* quocum ut vs. 22 cohaereat, hîc etiam CHRISTI *sectatores* intelligere necesse est. Quod aiunt Viri Docti, vocabulum ἕκαστος vs. 23 postulare, ut Adiectivo πάντες plures comprehendantur quam οἱ τοῦ Χριστοῦ, infra, uti spero, satis refelletur. Gravius omnino est quod contendunt, Adiectivum illud in posteriori membro eiusdem amplitudinis esse debere atque in priori; sed, ut videamus, quantum hoc valeat, requiritur interpretatio formularum ἐν τῷ Ἀδὰμ et ἐν τῷ Χριστῷ.

Incipiamus ab animadvertendo, PAULUM non scripsisse πάντες ἐν τῷ Ἀδὰμ et πάντες ἐν τῷ Χριστῷ, multo minus πάντες οἱ ἐν τῷ Ἀδὰμ et πάντες οἱ ἐν τῷ Χριστῷ, sed vocabulum πάντες sine Articulo ceteris postposuisse. Hinc sequitur, mentem eius non intelligere, qui eum, IAC. CAPELLO [1]) duce, dicentem faciant: *omnes, qui sunt* ADAMI et *omnes, qui sunt* CHRISTI. Nec tamen rem acu tangunt, qui hunc versum ita interpretantur, ac si formulae ἐν τῷ Ἀδὰμ et ἐν τῷ Χριστῷ a verbis ἀποθνήσκουσιν et ζωοποιηθήσονται pendeant. Quapropter stare quoque nequit interpretatio COCCEII, qui hunc in locum importavit placitum suum, a Literarum Sacrarum doctrina remotum, ADAMUM

[1]) In *Bibl. Crit.* ad h. l.

et CHRISTUM foederis fuisse capita vel principes, quorum alter *sobolem repraesentaret naturalem*, alter *spiritualem*. Sed in errorem lapsi sunt, quotquot has formulas non habebant absolute positas ad significandam *necessitudinem moralem*, quae *in regione* seu *communione* ADAMI *et* CHRISTI cernitur, et vs. 45 sqq. ante oculos collocata est. In priori autem membro, ad hanc necessitudinem enunciandam, nihil magis accommodatum erit quam verba ἐν τῷ Ἀδὰμ explicare *sequendo* ADAMO, seu *imagine* ADAMI *referenda*. Ergo omnes mori dicuntur, quatenus, in leges Dei peccando, ADAMI sectatores sunt. Similiter *Rom.* V: 12 mors, per ADAMUM hunc mundum ingressa, ad omnes homines penetrasse dicitur, ἐφ' ᾧ, id est, *propterea quod* omnes una cum ADAMO peccarunt. Eodem modo in posteriori orationis membro, quum priori omnino respondeat, verba ἐν τῷ Χριστῷ accipienda esse, res ipsa loquitur. Nihil igitur obstat, quominus scribamus: *sequendo* CHRISTO, seu *imagine* CHRISTI *referenda*. Hinc vero apparet, Adiectivum πάντες hac in Apodosi ad nullos alios, quam *sectatores* CHRISTI referri posse, etiamsi illud in Protasi *omnes* comprehendat *homines, quotquot* ADAMUM *peccando sequuntur*, quod etiam solum, ut supra vidimus et infra videbimus, circumiectis vs. 18—21 et vs. 23, 24 convenit. Et remotiora vs. 42 sqq. quum beatam tantum immortalitatem praedicent, luculenter, nisi fallor, ostendunt, auctorem sibi non constitisse, si hoc loco proponatur alius generis immortalitas. Quid? quod his argumentis verbum ζωοποιηθήσονται pondus et momentum adiicit. Recte quidem RÜCKERTUS, MEIJERUS, WETTIUS illud vertendo reddendum esse monuerunt *in vitam restituentur* [1]), sed, secundum loquendi usum,

[1]) Cff. praeter vs. 36, 2 *Reg.* V: 7. *Neh.* IX: 6. *Rom.* IV: 17. Opinionem, verbo ζωοποιηθήσονται tribuendam esse notionem figura-

vita intelligi debet, quae *beneficium* haberi meretur. Quare plus semel ad vitam laetam, sive proprie, seu figurate, denotandam inservit, uti *Iob.* XXXVI: 6. *Eccl.* VII: 13. *Rom.* VIII: 11, etiam infra vs. 45. Adiectivum autem πάντες hac in Apodosi ad *solos Christi sectatores* referri posse, ipse, nisi fallor, PAULUS tanquam manu monstrat in loco simili *Rom.* V: 15, 18, 19, ubi perspicua posterorum ADAMI et sectatorum CHRISTI Antithesis est, quamvis utrique οἱ πολλοὶ et πάντες ἄνθρωποι dicuntur. Utique interpretibus, qui hoc vocabulum utroque in membro eiusdem amplitudinis esse debere contendunt, nihil aliud superest, quam in orationem importare sententiam, ab ea alienissimam, improbos tandem aliquando beatos fore. Quae quum ita sint, sine scrupulo adsentior GROTIO, HEIIDENREICHIO, OSIANDRO, omnes, quos Apostolus scripsit, in vitam restitutum iri, solos CHRISTI esse sectatores. Sed ad hanc interpretationem tuendam fortasse non opus est, vocabulum πάντες aliter in Apodosi, quam in Protasi accipere. Quid, si temere sumtum est, in priori membro generatim *omnes* denotari *homines*? Si ibi πάντες iidem sunt ac vs. 20 οἱ κεκοιμημένοι, quorum ἀπαρχὴ CHRISTUS est [1])? Si igitur verba πάντες ἀποθνήσκουσιν non totum genus humanum, sed *solos* CHRISTI *sectatores* spectare dicimus? Nihil sane alieni hac interpretatione orationi affingitur. Haud raro enim Adiectivo πάντες ii denotantur, qui ex circumiectis intelligendi sunt, uti *Marc.* XII: 44. *Luc.* XX: 38. *Act.* XXI: 24. 1 *Cor.* XIV: 23, 24. 2 *Tim.* IV: 16. Sententia autem vulgaris, omnes ho-

---

tam: *ad vitam pietati et virtuti consecrandam perducentur*, iam satis refutarunt CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS aliique in exagitandis Manichaeorum commentis.

[1]) Impedimento non est transitus a Perfecto κεκοιμημένων ad Praesens ἀποθνήσκουσι, quippe quem pepererunt interposita vs. 21.

mines intelligendos esse, orta tantum videtur ex abusu loci similis. *Rom.* V: 12 sqq. Abusum dico: ibi enim disputatio de *toto genere humano* instituta est; hic nulla alia agitur causa quam *sectatorum* CHRISTI. Itaque me acriter reprehensum iri non puto, si PAULUM dicentem faciam: *Quemadmodum enim in Adamo moriuntur omnes (illi), sic etiam in Christo omnes (illi) revivisc ent.* Quod iam Interpres vetus, quamvis vulgarem sententiam sequebatur, expressit scribendo: *Want gelijk ze allen in Adam sterven, alzoo zullen ze ook in* CHRISTUS *allen levend gemaakt worden.* Atque sic Adiectivo πάντες, quod gravitatis causa verbis ἀποθνήσκουσιν et ζωοποιηθήσονται praepositum est, iis postponendo eadem verborum constituitur structura, quam orationi vs. 51 constituendam esse videbimus. Ceterum si quis auctorem dicere opinatur, reditum in vitam mortem continuo sequi, ipsum Futurum ζωοποιηθήσονται molestiam non creabit. Frequenter enim illud usurpatur ad denotandum *quod ex Dei decreto fieri oportet* vel *destinatum est*, uti *Sap. Sal.* V: 16. VII: 9. *Matth.* V: 4 sqq. XXVI: 52. 1 *Cor.* VI: 2, 3. 1 *Tim.* VI: 8. 2 *Tim.* III: 1, 2. 2 *Petr.* III: 3 et alibi [1]. Sed ex vs. 51, 52 luculenter apparet, opinionem illam hoc in Caput neutiquam quadrare. Futuro igitur significatur tempus, quo sectatores CHRISTI communis illa manet restitutio in vitam, quae ibidem enucleatius proposita est.

Vers. 23.

Reviviscendi rationem accuratius definire volens PAULUS adscripsit: Ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι. Quod

---

[1]) Cff. KÜHNER. Tom. II. p. 82, 83. MATTHIAE. p. 1120, 1121. WINER. p. 323 sqq.

utrum pertineat tantum ad remotiora ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ, an etiam ad proxima ἀπαρχὴ Χριστὸς, iam statim agitur quaestio. Sed huius quaestionis dirimendae negotium quodammodo pendet ab interpretatione formulae ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι. Hinc igitur incipiamus.

Vocabulum τάγμα, ut ex locis apparet a WETSTENIO allatis, Veteres usurparunt ad *agmen militare* significandum. Quam notionem post alios MEIIERUS hoc loco retinet, varias reviviscentium classes cum variis militum agminibus comparari aiens, nec ab eo dissentit OSIANDER. Haud pauci vero, quos GURLITTUS, HEIIDENREICHIUS, etiam RÜCKERTUS et WETTIUS sequebantur, Concretum τάγμα p Abstracto τάξις positum esse eoque *ordinem temporis, quo alii in reviviscendo aliis successuri sunt*, denotari putarunt. Sed ad hanc utriusque vocabuli permutationem probandam duo certe non valent loci CLEMENTIS *Romani*, qui excitari solent. Alterum [1] enim, in quo legimus: ἀλλ' ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι τὰ ἐπιτασσόμενα ὑπὸ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν ἡγουμένων ἐπιτελεῖ, inservire ad *classes* sectatorum CHRISTI cum *agminibus* militum comparandas, perspicue docent praecedentia: Οὐ πάντες εἰσὶν ἔπαρχοι, οὐδὲ χιλίαρχοι, οὐδὲ ἑκατόνταρχοι, οὐδὲ πεντηκόνταρχοι, οὐδὲ τὸ καθεξῆς. In altero [2], cui WETTIUS etiam maiorem probandi vim tribuit, notio *agminis* vel *classis* se itidem tuetur, quum verba: Ἕκαστος ὑμῶν, Ἀδελφοὶ, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω Θεῷ cum his connexa sint: Τῷ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσὶ, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ Λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς

---

1) Cap. 37 COT. Tom. I. p. 169. CLER. 1724.

2) Cap. 41. p. 170.

προστάγμασι δέδεται. Alibi autem frustra huius permutationis quaeruntur exempla. Immo in Alexandrina V. T. interpretatione, *Num.* X: 14, 18, 22, 25, ut iam monuit GERDESIUS, et ubique vocabulo τάγμα *agmen* vel *classis* significatur. Itaque, si loquendi usu tenemur, verba Pauli ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι aliter reddere non possumus quam Latinis: *suo ipsius in agmine*, vel *sua ipsius in classe.*

Hic vero si verborum illorum sensus est, primo adspectu improbabilis videtur sententia, vocabulum ἕκαστος tam *ad* CHRISTUM referendum esse, quam *ad omnes, qui in Christi communione vitam recepturi sunt.* Sed argumenta, quibus contra hanc sententiam disputari potest, si diligenter excussa erunt, minoris ponderis esse deprehendentur. Primum enim falluntur, qui putant, nihil magis a CHRISTO, qui sibi constet solus, alienum esse, quam ut *alicuius agminis* vel *classis esse* dicatur; siquidem talis non esse dicitur ad significandum, eum eodem in loco versari cum pluribus, qui ei pares aut aequales sint; sed ad eum comparandum cum rei militaris principibus vel imperatoribus, qui a multitudine distingui debeant. Hoc sibi voluisse PAULUM, perspicue indicant verba adscripta ἀπαρχὴ Χριστός, quibus, quamquam imaginem praebent quodammodo diversam ab ea, quae superiori τάγματι inest, CHRISTUS tamen refertur ad *classem primitiarum, quam cetera messis sequitur.* Ne quis autem vocabulum ἕκαστος incommodum esse aiat ad unum ab altero vel pluribus distinguendum, evolvantur *Rom.* XIV: 5. 1. *Cor.* VII: 24, item III: 8, ubi PAULUS et APOLLOS eo maxime denotantur. Deinde formula ἀπαρχὴ Χριστὸς orationem turbat, nisi vocabulo ἕκαστος ipse CHRISTUS una cum sectatoribus eius comprehenditur. Tum inter haec duo ἀπαρχὴ Χριστὸς et ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ, in quibus temporis gradatio cernitur, arctior in-

tercedit necessitudo, quam ut hoc intra, illud extra continuam argumentandi seriem collocari possit. Superest tantum quaestio, quid verbis ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι cogitando adiiciendum sit, si aeque CHRISTUM ac sectatores eius spectant. Sed eidem quaestioni copiam praebent sequentia. PAULUS, ut alibi, sic hoc etiam loco in scribendo versatus est, ac si summam eorum, quae lectoribus exponenda erant, sibi tantum in memoriam notasset. Breviloquentiae autem supplendae causa ex verbo ζωοποιηθήσονται eruendum est, quod singulis orationis partibus convenit. Ergo quod primum se offert: Ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι explicetur: *unusquisque vero ita in vitam restituitur, ut classem occupet sibi propriam.* Nullo sane argumento nititur interpretatio OECUMENII: Ἵνα μήτις νομίσῃ καὶ τοὺς ἁμαρτωλοὺς σώζεσθαι, ἐπάγει — — Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι ἔσται, καὶ ἐν οἷς ἐστιν ἄξιος. Nec maioris ponderis est quod scripsit THEODORETUS, dictum comparans IESU *Matth.* XXV: 33: καὶ στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων: quod una cum circumiectis nec totum genus humanum, nec mortuos in vitam revocatos spectat, sed *gentes hac in terra viventes et a Iudaeorum* CHRISTUM *sectantium prole distinguendas, ad quas Euangelii annunciatio pervenit* *). Sed sine damno hos interpretes sibi relinquere possumus, si supra probatum est, PAULUM nunc improborum rationem non habuisse. Et verba εἶτα τὸ τέλος vs. 24 causam quoque non afferre sententiae eorum applaudendi, videbimus infra. Verum ex auctoris mente disputasse quoque non videntur, qui varios piorum in vitam rediturorum ordines ei ante oculos versatos esse putabant. Immo Apostolus scri-

---

*) Cff. GEORG. l. c. p. 18 et PLANCK. ibid. Tom. VI. p. 276.

psisse videtur: ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι) ut, pro classium varietate, varia etiam reviviscendi tempora distinguerent. Verba ἀπαρχὴ Χριστὸς nullam amplius habent difficultatem, si sic explicantur: *primitiarum instar, quas cetera messis sequitur*, CHRISTUS *in vitam restitutus est*. Quemadmodum autem hîc orationi addendum est *in vitam restitutus est*, ita subiecta: ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ postulant, ut repetatur Futurum ζωοποιηθήσονται. Haec vero interpretibus plus negotii pepererunt. THEODORETUS, quocum alii veterum conspirant, homines spectari monet, οὐ μόνον μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν εἰς αὐτὸν πεπιστευκότας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν νόμῳ, καὶ πρὸ τοῦ νόμου ἐν εὐσεβείᾳ καὶ ἀρετῇ διαλάμψαντας. Similiter SEMLERUS, HEIIDENREICHIUS aliique Apostolum comprehendisse putarunt, quotquot sive *ante*, seu *post adventum* CHRISTI hanc in terram, pietatis et virtutis studiosi fuerint. Sed uti supra hoc toto in Capite sectatorum CHRISTI rationem haberi vidimus, sic formula οἱ τοῦ Χριστοῦ eosdem tantum denotari docet locus similis *Gal.* V: 24. Neque aliud suadent verba τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριστῷ *Eph.* I: 12, a SEMLERO excitata, quippe quae inserviunt ad *homines Christianos, ex Iudaeorum stirpe exortos*, a gentium exterarum prole, quae CHRISTO addicta erat, distinguendos. Fons autem, unde haec interpretatio emanavit, cernitur in praeoccupata multorum opinione, doctrinam, totum genus humanum ante tribunal CHRISTI appariturum esse, ut alibi, sic etiam hoc loco proponi. Sed ex *Gal.* V: 24 etiam intelligimus, interpretibus cum antiquioris, tum recentioris memoriae, quibus MEIIERUS, WETTIUS et OSIANDER quoque assentiuntur, loquendi usum non favere, ubi formulam οἱ τοῦ Χριστοῦ explicent: *qui in* CHRISTI *communione mortui sunt*. Deinde Articulus cum Genitivo ei subiecto nusquam in Novo Testamento legitur, nisi ad *viventes* significandos, uti *Luc.*

V: 33. *Ioann.* XXI: 2. *Act.* XVI: 33. 1 *Cor.* I: 11. Quod minus perpensum habent, qui hac cum formula comparant praecedentem οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ et, quae 1 *Thess.* IV: 16 legitur, οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ. Sed ad litem, quid Apostolus sibi voluerit, componendam explorari debet sensus verborum ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ.

Vulgaris interpretatio *tempore futuri eius adventus* congruit cum usu eiusdem formulae 1 *Thess.* II: 19. III: 13. IV: 15. V: 23. 2 *Thess.* II: 1, 8. Praecedentia vero οἱ τοῦ Χριστοῦ, si explicari nequeunt: *qui in communione* CHRISTI *mortui sunt*, ei vehementer obstant, sive Comma iis subiectum, seu non subiectum est. Huic enim si illud praeferimus, sensus verborum erit: *Deinde sectatores* CHRISTI *in vitam restituentur, scilicet tempore adventus eius.* Et ex aliorum locorum, uti *Ioann.* XI: 7. *Gal.* I: 18. II: 1, comparatione apparebit quidem, obiici non posse, hac structura duplicem temporis notationem in eandem sententiam importari, quarum altera faciat, ut redundet aut frigeat altera. Sed, quum hîc *sectatores* CHRISTI alii esse nequeant quam *mortui*, secundum hanc interpretationem recidimus in difficultatem, quae ex formula οἱ τοῦ Χριστοῦ oritur. Commate autem sublato ea quidem tollitur verbis explicandis: *Deinde in vitam restituentur, qui* CHRISTI *sectatores erunt eo tempore, quo advenerit;* sed sic Apostolum dicentem facimus, quod et in suam ipsius incurrit doctrinam vs. 52 et 1 *Thess.* IV: 15 sqq. et revera absurdum est. Itaque nescio, quo me convertam, nisi discedere, licet a vulgari interpretatione formulae ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. Hoc vero agentes IEHNIUS et KRAUSIUS verbis ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ εἶτα τὸ τέλος copulandis, dicere non possum, quam graviter in loquendi peccaverint usum omnemque interpretandi sensum. Aliam viam ingressus Vir ingeniosus inter nostrates vocabulo παρουσία inusitatam affinxit et mirificam notionem

institutionis regni Messiani, quae ab eversione civitatis Iudaeorum cepit initium [1]. At multo prudentius SCHOETTGENIUS [2] *tempus, quo* IESUS *hac in terra vixit*, intelligendum esse coniecit. Quod primo adspectu iam placuisse videtur OECUMENIO, quum ad h. l. notabat: *Ὅταν ἀπ᾽ οὐρανοῦ φανῇ ἐν δόξῃ, πρῶτον οἱ πιστοὶ καὶ δίκαιοι, καὶ εἰς αὐτὸν προηλπικότες, καὶ τὴν ἔνσαρκον παρουσίαν δεξάμενοι ἀναστήσονται.* Haud scio tamen, an ille vulgarem sententiam aeque secutus sit ac *Vetus Latinus*, cuius verba sunt: *Deinde ii, qui sunt* CHRISTI, *qui in adventu eius crediderunt.* Quid vero, si argumenta sunt haud spernenda, quae hanc interpretationem commendent? Nimirum PAULUS eodem vocabulo, quod hîc exstat, satis crebro ad *praesentiam alicuius hac in terra* denotandam usus est. Vide 1 *Cor.* XVI: 17. *Phil.* II: 12 aliosque locos excitatos a BRETSCHNEIDERO, etiam 2 *Thess.* II: 9, ubi memoratur *ἡ παρουσία τοῦ ἀνόμου.* PETRUS autem, 2 *Pet.* I: 16, vel quisquis huius Epistolae auctor est, *τὴν τοῦ Κυρίου παρουσίαν* laudans, nihil aliud ante oculos habuit, quam *vitam Domini inter homines.* Similiter scripserunt antiquissimi Ecclesiae Patres, etiam ubi ab hac CHRISTI praesentia futurum eius adventum distinguebant [3]; item auctor *Testamenti* XII *Patriarcharum*, plus uno in loco [4].

---

[1]) VAN DEN BROEK in *Godgel. Bijdragen.* Tom. IV. Pars. 4. p. 546, 547.

[2]) *Hor. Hebr. ad N. T.* p. 662.

[3]) Exempla sunto IGNAT. *Ep. ad Philadelph.* Cap. 9. COT. Tom. II. p. 33. IUSTIN. *Mart. Dial. cum Tryph. Iud.* Cap. 51. p. 147. MAR. EUSEB. *Eclog. Proph.* Lib. I. Cap. 1, 8. p. 4, 22. GAISF. GREGOR. *Naz. Or.* III. Opp. Tom. I. p. 57. *Col.* Alia dabit SUICERUS in *Thes.* v. *παρουσία.*

[4]) *Test. Levi* Cap. 8. apud FABRIC. p. 568 *ἡ παρουσία αὐτοῦ* (CHRISTI) dicitur *ἄφραστος ὡς προφήτου ὑψηλοῦ.* In *Test.* autem *Iud.* Cap. 22. p. 614, 615 coniuncta haec sunt: *ἕως τοῦ ἐλθεῖν τὸ σωτήριον τοῦ Ἰσραὴλ* et *ἕως παρουσίας τοῦ Θεοῦ τῆς δικαιοσύνης.*

Hoc vero illi quonam alio ex fonte petiisse censendi sunt, quam ex loquendi usu, Apostolis eorumque aequalibus iam trito et ad suam aetatem propagato? Non perturbabor igitur, si quis ad varios provocaverit Novi Testamenti locos, in quibus *adventus* CHRISTI vel *Dei futurus* παρουσία vocatur, nempe *Matth.* XXIV: 3, 37, 39. *Iac.* V: 7, 8. 2 *Pet.* III: 4, 12. 1 *Ioann.* II: 28. Maiorem vero difficultatem pariunt loci ex *Epistolis ad Thessalonicenses* supra excitati, quippe qui ipsum docent PAULUM huic vocabulo eandem notionem tribuisse. Sed, quod probe animadvertendum est, in Epistolis postea scriptis illud ad hanc notionem enunciandam nusquam usurpatum est. Immo ubique in iis *futurus* CHRISTI *adventus* proponitur formula ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν vel simili, etiam 1 *Cor.* V: 5. 2 *Cor.* I: 14, item 1 *Cor.* I: 8, ubi libri aliquot perperam habent παρουσίᾳ. Atque hac formula Apostolus iam in ipsis uti incepit Epistolis ad *Thessalonicenses*, nempe 1 *Thess.* V: 2. 2 *Thess.* I: 10. II: 2, quibus in locis permutatur cum magis ibi frequentata ἡ παρουσία τοῦ Κυρίου. Hinc vero argumentum peto coniiciendi, PAULUM eo tempore, quo ad *Corinthios* scriberet, priscum loquendi usum iam ita mutasse, ut *futurum* CHRISTI *adventum*, non amplius τὴν παρουσίαν αὐτοῦ, sed τὴν ἡμέραν αὐτοῦ appellaret. Quod qui probabile habebit, vix dubitare poterit, quin verba: ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ explicanda sint: *Deinde in vitam restituentur, qui sectatores* CHRISTI *fuerunt, quum ille hac in terra erat.* Sic horum verborum altera pars sine Articulo alteri adiecta est, ut unam in sententiam coalescant [1]). Nec video, quid huic sententiae opponi possit, si sumimus, PAULUM mente sua

[1]) Cf. WINER. p. 155. sqq.

comprehendisse omnes IESU aequales, quotquot nomen eius et professi essent, et profiteri pergerent. Sed ne interpretatio proposita labefactetur, sumi quoque debet, Apostolum, haec scribentem, spem nondum perdidisse fore, ut ipse hac in vita permaneret usque ad CHRISTI apparitionem. Hanc vero spem eius declarat praedictio, vs. 51 et 52 reperiunda, ut infra luculenter patebit.

Vers. 24.

Interpretationi, quam proposui, formulae *ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ,* haud scio, an pondus et momentum afferat hic versus, cum superiori arcte cohaerens. Verbis *εἶτα τὸ τέλος,* unde nexus pendet, haud pauci, uti SLICHTINGIUS, WOLFIUS, SEMLERUS, FLATTUS, OLSHAUSENIUS, RÜCKERTUS, *huius mundi,* vel *rerum humanarum,* vel *ordinis rebus illis constituti* indicari putarunt *finem.* Quod sibi iam volens CHRYSOSTOMUS scripsit: *Ὅταν ἀναστῶσιν ἐκεῖνοι, τὰ πράγματα ἅπαντα λήψεται τέλος.* Hanc vero interpretationem ferre nequit oratio, quoniam non incipit a Particula *τότε,* uti *Matth.* XXIV: 14, sed a Particula *εἶτα,* quae in omnibus locis Novi Testamenti, ubi *temporis ordo* proponitur, *rem* spectat POSTEA *factam* vel *futuram.* Idem obstat sententiae GROTII, CRELLII, BOSVELDII, BILLROTHI, qui Graeca explicanda iudicant *finem regni* CHRISTI. Mirandum igitur non est, multos ab antiquo fuisse, qui verbis PAULI *postremum in vitam reditum* denotari putarent. Sic ea iam interpretatus est THEODORETUS formulae *εἶτα τὸ τέλος* adiiciens: *ἀντὶ τοῦ· ἡ κοινὴ πάντων ἀνάστασις,* quod ipsum *Scholiastes* vetus apud

MATTHAEUM repetiit. Similiter, praeter Interpretes vetustioris memoriae, iudicarunt DEHNIUS, KRAUSIUS, HEIDENREICHIUS, MEBIUS, OSIANDER, etiam MEIERUS, qui orationem sic suppleri iussit: εἶτα τὸ τέλος τῆς ἀναστάσεως ἔσται. Quod quamquam WETTIUS MEIERO non concedit, ipse tamen viam haud longe hinc remotam ingressus est, *finem rerum, quae ad Eschatologiam pertinent,* a PAULO propositum esse monens. Ceterum hi aliique Viri Docti inter se disputant, utrum hic postremus reditus mortuorum in vitam ad *probos* tantum, an etiam ad *improbos*, vel ad *improbos solos* referri debeat. Sed uti supra auctorem hoc in Capite *improborum* rationem non habuisse vidimus, sic sequentia ὅταν παραδιδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ prorsus impediunt, quominus ille connexis εἶτα τὸ τέλος *improbos* denotasse censeatur. Multo audacius vero egit LAVATERUS [1]), quum, verba τὸ τέλος explicans *novissimum agmen*, eruere inde conaretur doctrinam, *improbos proborum in consortionem receptum iri.* Vocabulum enim τέλος, apud scriptores tum sacros, tum exteros, nusquam exstat ad significandum *agmen novissimum*, quod Graeci οὐράν vel οὐραγίαν appellare solent [2]). Sed aliena quoque hunc in locum importare coguntur interpretes, qui verba ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ ad *mortuos Christi sectatores futuri eius adventus tempore in vitam restituendos*, sequentia εἶτα τὸ τέλος ad *postremum reditum in vitam* referunt. Illis vero interpretandis: *deinde in vitam restituentur, qui*

---

[1]) *Uitzigten in de eeuwigheid.* Tom. II. *Praef.* p. 33 sqq.

[2]) Aliter BRIËTIUS. p. 388 in vim vocabuli τέλος peccavit, verba εἶτα τὸ τέλος explicans: *tum veniet illud, quod perfectum est.* Frustra autem provocat ad *Matth.* XXIV: 14, ubi IESUM, dicentem: καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος, nihil aliud voluisse, quam: *et tum veniet harum rerum finis*, perspicue docet dictum superius vs. 6: ἀλλ' οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος. Vide vs. 8, 13, 22. *Marc.* XIII: 7. *Luc.* XXI: 9 et Cf. EWALD, *Die drei ersten Evangelien übersezt und erklärt.* p. 334, 335.

sectatores CHRISTI *fuerunt, quum ille hac in terra erat*, via nobis monstrata est haec supplendi: *εἶτα τὸ τέλος τοῦ ζωοποιηθῆναι ἔσται*, ut sensus sit: *tum consummabitur quod ad restitutionem in vitam pertinet* i. e. *tum ceteri* CHRISTI *sectatores, qui mortem subierant, in vitam restituentur*. Atque ita fit, ut non solum vim suam habeat Particula *εἶτα*, sed suo etiam loco stare deprehendatur principium orationis *Ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι*. Quid? quod nunc commode sequuntur verba: *ὅταν παραδιδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ*, si ea proxime praecedit postrema classis hominum, ad regnum CHRISTI pertinentium, qui in vitam restituentur. Si quis fortasse rogat, cur PAULUS de hominibus CHRISTI aetate posterioribus usus sit formula *εἶτα τὸ τέλος*, qua *paucitas* magis, quam *ingens multitudo* significatur, respondeo, Apostolum ita scripsisse, quoniam opinaretur, CHRISTUM brevi rediturum esse. Sed fortasse quoque vocabulo notionis minus definitae *τέλος* usus est, quoniam ei iam ante oculos obversabatur id, quod vs. 51 et 52 cum lectoribus communicavit. Ceterum haec duorum reviviscendi temporum distinctio valde differt ab ea, quae *Apoc.* XX tradita est. Neque ad causam eius explicandam multum proderit comparatio *Matth.* XIX: 28. *Luc.* XXII: 29, 30 [1]).

Cum praecedentibus arcte connexa esse iam monuimus verba: *ὅταν παραδιδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ*. Praesenti, quod probant RÜCKERTUS, MEIERUS, WETTIUS, haud secus favent libri Optativum *παραδιδοῖ* habentes (BFG), quam alii (ADE cet.), in quibus hoc ipsum *παραδιδῷ* legitur. Nititur autem tam internis, quam externis argumentis. Librarii enim Aoristum *παραδῷ*, qui in Edit. Rec. legitur, non solum receperunt, quia hunc requiri puta-

---

[1]) Cff. MEIER. ad h. l. et USTERI, *Entwickelung* cet. p. 349.

bant, ut oratio cohaereret cum sequentibus ὅταν καταργήσῃ etc. sed etiam quia non intelligebant, quomodo praecedentia ἕκαστος δὲ etc. Praesens παραδιδῷ ferre possent. Optativus, quem LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS praeferunt, nec prorsus respuit OSIANDER, hanc in orationem non quadrat. Indicio autem hic locus est, quam longe a via deflectant, qui PAULUM hoc in Capite frequenter Praesenti usum esse opinentur, ut Corinthios doceret, reditum in vitam mortem continuo sequi. Immo ut Praesenti παραδιδῷ, sic etiam ceteris, futurum, quod certo constitutum est, tanquam ante oculos ponitur. Similiter Praesens Coniunctivi Particulam ὅταν sequitur *Matth.* XXVI: 29. *Marc.* XIV: 25. *Ioann.* VII: 27. 1 *Cor.* XIV: 26.

Formulae τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ alienam notionem tribuunt, qui *adversarios Dei devictos*, uti STORRIUS, aut *regnum Iudaeorum*, uti BRIËTIUS, intelligi iubent. In omnibus enim locis, in quibus ἡ βασιλεία legitur, uti *Matth.* IV: 23. XIII: 19. XXIV: 14. *Luc.* XII: 32, κατ' ἐξοχήν denotatur *regnum*, quod vulgo dicitur *Divinum* seu τοῦ Θεοῦ, et cuius princeps CHRISTUS est. Nec, quo se tueatur, habet WETTII sententia, *regnum* significari *regni millenarii Apocalypseos simile.* Sine dubio Apostoli ante oculos obversatum est regnum illud, quod Deus CHRISTO mandavit, quum eum obedientiae ad crucem usque praestitae praemio condecorabat. Cf. *Phil.* II: 9 sqq. Ubi vero definiendum est, quid sibi velit illud ὅταν παραδιδῷ τὴν βασιλείαν, tot sensus sunt quot capita. Recte quidem OSIANDER verbo παραδιδόναι *tradendi* notionem vindicavit, sed minus recte Apostolum docentem fecit, CHRISTUM *una cum regni sui civibus ipsum regimen Deo traditurum esse, ita tamen, ut imperium eius nunc novam tantum formam accipiat.* Hanc enim *novam imperii formam* suopte ex ingenio petiit, non ex oratione, quam interpretabatur, neque ex doctrina in libris

Novi Testamenti proposita. Deinde si *regimen* hîc in censum veniret, PAULUS scripturus fuisset *ἀποδιδῷ*, ut CHRISTUM illud, quemadmodum sibi a Deo *traditum* esset, ita Deo *redditurum* esse significaret. Ex verbo illo *παραδιδῷ*, nisi fallor, apparet, sequentibus *τὴν βασιλείαν* nihil aliud denotari quam *civitatem* CHRISTI seu *societatem sectatorum eius*, uti *Eph.* V: 5. *Col.* I: 13. IV: 11 item 1 *Cor.* VI: 9, 10 [1]). Apostolus igitur sibi voluisse videtur: CHRISTUM *sectatores suos facturum peculium Dei, ut ei vivant.* Ad verba autem *τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ* explicanda, dubito, an Interpretes recte conferant *Rom.* XV: 6. 2 *Cor.* I: 3 similesque locos, in quibus iis adiectum est *τοῦ Κυρίου ἡμῶν* etc. Sunt enim alii, qui formulae *ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ* subiunctum habeant Pronomen *ἡμῶν*, uti *Gal.* I: 4. *Phil.* IV: 20. 1 *Thess.* I: 3. III: 11, 13, vel Adiectivum *πάντων*, uti *Eph.* IV. 6. Multo magis in censum veniunt *Eph.* V: 20. *Col.* III: 17 (secundum Edit. Rec.). *Iac.* I: 27. III: 9, in quibus Genitivus non legitur. Iam horum pars altera generatim tantum *Deum et Patrem* laudat, altera vero ita, ut IESU CHRISTI ratio habeatur. Si autem ubique oratio contexta definire debet, utrum utri praeferendum sit, hîc quidem praecedens *παραδιδῷ* nobis indicat, auctoris in mente fuisse *Deum et Patrem* CHRISTI. Sed OSIANDRO fraudem fecit HARLESSUS [2]) monendo, PAULUM, si vocabulum *Θεῷ* etiam ad CHRISTUM referendum esset, scripturum fuisse *τῷ Θεῷ τε καὶ Πατρί*. Non intellexit enim Vir Doctus, Particulas *τε καί*, et nusquam interpositas esse vocabulis *Θεός* et *Πατήρ*, et nusquam quoque usurpatas esse ad *proprietates eiusdem personae* vel *rei*, sed ubi-

---

[1]) Cff. MUNTINGH. *Geschiedenis der menschheid naar den Bijbel.* Tom. X. Ann. p. 45 sqq.

[2]) *Comm.* ad *Eph.* I: 3.

que ad *diversas personas* vel *res* coniungendas, uti 1 *Cor.* I: 2, 24, 30 [1]).

Orationem persequens PAULUS commemorat *πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν*. CHRYSOSTOMUS, THEODORETUS aliique Veteres interpretantur *Daemones*, sive *genios malos*, quorum sententiam defendere conatus est SEMLERUS. Ipsa vero docent verba, Apostolum non *certas quasdam potestates*, sed *qualiacunque genera earum* ante oculos habuisse. Similiter arctius, quam par est, verborum notiones restringunt, qui cum CALVINO *potestates legitimas a Deo ordinatas*, aut cum GROTIO *omnia imperia et regna mundi et regimina minora* denotari putant. Contra verborum vim amplificavit MELANCHTHON adscribendo: „Generaliter intelligo aboleri et imperia mundi, et potestatem diabolorum, et ministeria angelorum et Ecclesiae, imo et auxilia cibi, potus, et aliarum creaturarum." Quae enim vs. 25 et 26 sequuntur evidenter docent, hic tantum spectari *adversarios* CHRISTI *qualescunque*. Quamquam autem *iniquitatis* notio ipsis non inest vocabulis, ut etiam apparet ex locis similibus *Eph.* I: 21. III: 10. VI: 12. *Col.* I: 16. II: 10. *Tit.* III: 1, in quorum nonnullis ea ferri nequit, vulgo tamen Apostolorum aetate, qui rebus humanis praeerant, sectatores CHRISTI tanto odio persecuti sunt, ut simplex eorum commemoratio satis esset ad cogitationem *iniquitatis* mentibus iniiciendam. Adiectivum vero *πᾶσαν* bis usurpatum *haud secus adversarios hominibus superiores, quam humanos* intelligi iubet. Sed longiori disputatione non opus est, quoniam RÜCKERTUS, MEIIERUS, WETTIUS, OSIANDER et hodie omnes fere Viri Docti cum PELAGIO aliisque antiquioribus de eo consentiunt, hanc unam interpretationem veram esse. TITTMANNO [2]) autem largior, bene distin-

---

[1]) Sic illustrari videtur id, quod WINER. p. 516 sqq. notavit.

[2]) *De Synon.* Lib. I. p. 158. Cf. etiam VAN KETWICH, *Disput. Theol. Inaug. de Simonia.* p. 17, 18.

gui posse notiones vocabulorum ἀρχή, ἐξουσία et δύναμις. Sed PAULUS his tribus vocabulis minus usus esse videtur, ut tres potestates inter se distingueret, quam ut orationis ubertate adversarios *cuiusvis generis* significaret. Quare etiam Adiectivum πᾶσαν semel tantum ante ἐξουσίαν, non vero iterum ante δύναμιν repetiit. Cff. CALVINUS aliique.

Verbum καταργήσῃ si interpretamur *vi sua destituerit*, notionem ei tribuimus convenientem vocabulis ἀρχὴν, ἐξουσίαν et δύναμιν. Eandem notionem sibi postulant omnes loci, in quibus illud de *potestatibus, praesertim adversariis*, usurpatur, uti 1 *Cor*. II: 6. 2 *Thess*. II: 8. 2 *Tim*. I: 10. *Hebr*. II: 14: item *Test*. XII *Patr*. [1]) ubi legimus: καταργήσει Βελιὰρ καὶ τοὺς ὑπηρετοῦντας αὐτοῦ, quae verba etiam attulit BRETSCHNEIDERUS, sed minus recte explicuit. Haud male BEZA monuit: „non dici abolendos illos, qui imperio praediti sunt, sed eorum potestatem esse abolendam." Cff. *Luc*. XIII: 7. 1 *Cor*. II: 6. 2 *Cor*. III: 11 sqq. 2 *Tim*. I: 10. *Hebr*. II: 14. Iam vero quum PAULUS aiat ὅταν καταργήσῃ, Aoristus, aeque atque *Ioann*. XVI: 21, Praesenti παραδιδῷ postpositus, nobis indicio est, haec verba non, ut HEIIDENREICHIUS aliique volunt, cum remotioribus εἶτα τὸ τέλος connectenda, sed proxime praecedentibus ὅταν παραδιδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ Πατρί subiicienda esse. Mecum hactenus consentiunt MEIIERUS, WETTIUS, aliique, quotquot librarios παραδῷ pro παραδιδῷ scripsisse censent. Sed etiamsi PAULUS ipse Receptum παραδῷ scripsisset, ne sic quidem orationis membra, quae a Particula ὅταν incipiunt, ita comparata essent, ut ad unum idemque tempus referri possent. Quem nexum si auctor orationi dedisset, crediderim quoque, eum alteram Particulam ὅταν cum altera

[1]) L. l. Vol. I. p. 730.

per Particulam *καί* iuncturum fuisse, uti factum reperimus *Luc.* VI: 22. XII: 54, 55 [1]). Ergo quum scriberet *ὅταν καταργήσῃ*, per *ὕστερον πρότερον*, quod minus elegans esse concedo, praedixit, *adversarios qualescunque vi sua destitutum iri, priusquam* CHRISTUS *regnum Deo et Patri tradat.* Illud autem *καταργήσῃ*, quaestio est, utrum *Deum* spectet, an CHRISTUM. Et CHRISTUM quidem spectari vulgo sumunt Interpretes. BENGELIO, qui intelligi iussit *ὁ Θεός*, cum SEMLERO aliisque se opponit OSIANDER, imprimis provocans ad Pronomen *αὐτόν*, quo vs. 25 CHRISTUS denotatur. Sed hoc Pronomen verbis *δεῖ γὰρ βασιλεύειν*, quoniam eo carere non poterant, adscriptum est multoque magis indicat, orationem ad *Subiectum* eius i. e. ad CHRISTUM reduci, quam ad hunc etiam verbum *καταργήσῃ* pertinere. Quemadmodum autem variis in locis ad *Praedicatum* membri prioris Verbum membri posterioris referendum est, uti *Rom.* VII: 1. 1 *Cor.* VII: 36 [2]), ita haud raro scriptores Novi Testamenti nomen *Dei* lectoribus supplendum reliquerunt. Vide *Col.* I: 19. 1 *Ioann.* V: 16. *Iac.* I: 12, ubi recte edidit TISCHENDORFIUS: *ὃν ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν* [3]). Quid vero facilius est, quam ad verbum *καταργήσῃ* explicandum intelligere *Deus et Pater*, cuius commemoratio proxime praecedit? Infra vs. 27 nihil huius generis praecedit, et ibi tamen verbo *ὑπέταξε* *Deum* induci omnia pedibus CHRISTI subiicientem, nemo

---

[1]) Ita DEMOSTH. *Olynth.* III sic incipiens: *Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γινώσκειν, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω, καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω.*

[2]) Ibi, ut Editores orationem minus recte distinxerunt, sic sensum eius non assecuti sunt Interpretes. Verba sic distinguenda sunt: *Εἰ δέ τις — ὑπέρακμος, καὶ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι ὃ θέλει, ποιείτω.* PAULUS autem sibi voluit: *Si quis vero — maturitatem egressa, et si re ita comparata fieri oportet quod* [*ea*] *vult, hoc ille faciat.* Cff. quae disputavi in *Bydragen tot bev. van Bijb. Uitlegk.* Tom. III. Pars. 2. p. 332.

[3]) Cf. WINER. p. 427, 660.

inficiabitur. Et altero in membro vs. 25, ut me probaturum spero, *Deus* omnes adversarios superasse dicitur. Sed hinc novum argumentum peti posse videbimus, quo BENGELII sententiam tueamur.

Vers. 25.

Versum 25 cum 24 arctissime cohaerere, docet Particula *γάρ*. Et hoc quidem loco digressionem ad tempus pertinentem, quo CHRISTUS regnum Deo et Patri traditurus sit, PAULUS non facere incepit, ut monet post alios WETTIUS, sed continuavit, verbis *ὅταν καταργήσῃ* cet. ad veritatem eorum probandam, adiiciendo *Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν* cet. Ergo, ne quis miraretur, potestates quaslibet adversarias vi sua destituendas esse, priusquam, mortuis in vitam revocatis, CHRISTUS regnum Deo et Patri tradat, ostendere conatus est, hoc niti *decreto Divino, quod in Veteri Testamento propositum esset.* Eandem notionem sibi postulat verbum *δεῖν* in aliis locis, in quibus ratio habetur oraculorum a Vatibus Hebraeis editorum, uti *Matth.* XVII: 10. XXVI: 54. *Luc.* XXII: 37. XXIV: 26. *Act.* III: 21 [1]). Verbo *βασιλεύειν*, quod *regnare* vel *regno praeesse* denotat, Apostolus non usus est, ut vulgaris fert sententia, ad interpretandam formulam *κάθου ἐκ δεξιῶν μου Psalm.* CX: 1, respondentem Hebraeae שֵׁב לִימִינִי [2]), sed ad gravius, quam in mente

---

[1]) Cf. SCHOLTEN, *de leer der Hervormde Kerk in hare grondbeginselen*. Tom. II. p. 359, 360.

[2]) Data opera hoc probare conati sunt VITRINGA l. c. Lib. II. Cap. IV et V. p. 301 sqq. KNAPP. l. c. Tom. I. p. 37 sqq. BERGMANN. *Commentat. in Psalm* CX p. 79 sqq. Sed sequentia *ἕως ἂν θῶ* cet. (עַד־אָשִׁית cet.) sensu prorsus carent, si verba *κάθου ἐκ δεξιῶν μου*

poëtae Hebraei fuisset, CHRISTO tribuendum munus, quod vocabulo praecedenti βασιλείαν conveniret. Sublata imagine sibi voluisse videtur, CHRISTUM, Euangelio per legatos suos hominibus annunciando et Spiritum suum Sanctum cum iis communicando, sectatores sibi parare eosque servare et consummare. Si quis fortasse putat, eo, quod Pronomen αὐτὸν, non vero ἐκεῖνον, cum verbo βασιλεύειν connexum est, refelli sententiam propositam, auctorem superioribus ὅταν καταργήσῃ cet. *Deum* spectasse, respondeo, IOANNEM quidem CHRISTUM appellasse ἐκεῖνον, ubi oratio a Deo ad illum transiret; sed PAULUM alterum ab altero ita non distinxisse, nec distinguere potuisse, quoniam subiectum proxime praecedens haud raro hoc Pronomine significaret, uti 2 *Cor.* VIII: 9. 2 *Tim.* II: 26. *Tit.* III: 7.

In membro posteriori utrum Verbum θῇ *Deum*, an CHRISTUM denotet, magna quaestio est. Illud BEZAE placuit, GROTIO, ESTIO, SEMLERO, HEYDENREICHIO, FLATTO, BILLROTHO, aliis. Hoc sibi placere iam ostendit CHRYSOSTOMUS scribendo: *Οὐκ εἶπεν, ὅτι ὁ Πατὴρ δι' αὐτοῦ, ἀλλ' αὐτὸς καταργήσῃ, καὶ αὐτὸς θήσει ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ οὐδαμοῦ τοῦ γεγεννηκότος ἐμνημόνευσε.* Secuti sunt multi veteres, et recentiores, etiam RÜCKERTUS, MEIERUS, WETTIUS, OSIANDER. Satis inepte GERDESIUS intelligendum esse putavit CHRISTUM *cum Patre*. Sed qui praecedentia ὅταν καταργήσῃ ad CHRISTUM referunt, non video sane, quomodo verbum θῇ ad *Deum* referre possint. Quod enim aiunt, ita praeire Poëtam *Psalmi* CX: 1, nullius ponderis est, quoniam PAULUS verba eius non excitavit, sed ea tantum suam in orationem convertit, prouti causae suae accommodata

---

(ימיני שב) explicantur: *regna nomine meo*, quum explicari tantum possint: *Meo in throno sede tutus summeque honoratus*. Ex disputatione, quam hac de re conscripsi, sed nondum edidi, plura hîc afferre non licet.

erant. Neque inde, quod Pronomen *αὐτοῦ* pro *αὑτοῦ* substituendum est, sequitur, orationem *Deum* spectare, ut MEIIERUS et WETTIUS recte monuerunt [1]). Si quis autem argumentum sumit ex vers. 27, ubi verbo *ὑπέταξεν*, omnium consensu, *Deus* denotatur, RÜCKERTUS docuit, in contrariam partem disputari posse. Sed gravius momentum huic interpretationi adiicitur, si formulae, ex Poëtae carmine petitae, *hunc* in Novo Testamento *constantem usum* esse animadvertimus, ut ad *Deum* referatur; quamobrem *Hebr.* X: 13 legimus *τεθῶσιν*, quod etiam praecedentia *τὸ λοιπὸν ἐκδεχόμενος* ad CHRISTUM referre vetant. Hinc nempe cogendum videtur, PAULUM hoc loco, quum morem suo tempore receptum sequeretur, sibi proponere non potuisse lectores, quibus commemoratio CHRISTI in priori membro orationem faceret ambiguam. Probata autem sententia, *Deum* hîc praedicari, vide, quantopere confirmetur id, quod supra sumsimus, eundem etiam praedicari verbis: *ὅταν καταργήσῃ* cet. Sic enim versibus 24 et 25 duo insunt, quae sibi egregie respondeant: alterum, quod CHRISTUS aliquando faciet et *Deus* antea fecerit; alterum, quod CHRISTUS deinceps facere debet et *Deus* interea facturus est.

Plus uno nomine verba PAULI a verbis differunt Interpretis Alexandrini, qui Hebraea fideliter reddidit. Apostolus enim non solum secundam personam mutavit in tertiam, sed pro *ὑποπόδιον τῶν ποδῶν*, quod plerique Novi Testamenti scriptores secuti sunt, etiam scripsit *ὑπὸ τοὺς πόδας*. Praeterea orationi inseruit Adiectivum *πάντας*. Hoc autem in Adiectivo totam argumenti vim positam esse, cum BEZA dicere non ausim. Nec GROTIO assentior monenti, vocabulo *ἐχθροὺς* ab auctore additum esse Pronomen *αὐτοῦ*, sed hoc prava-

---

[1]) Cf. WINER. p. 175, 176.

librariorum sedulitati deberi puto. Similiter illi duabus Particulis ἄχρις οὗ tertiam ἂν subiecerunt, si LACHMANNO et TISCHENDORFIO fides est, qui eam hinc expulerunt. Et sane codices boni et antiqui sunt, quorum auctoritate iudicium eorum nitatur. MEIIERI vero sententiae, ex Interpretatione Alexandrina Particulam in huius Epistolae exempla importatam esse, calculum adiicere nequeo, quoniam minus credibile est, homines, qui hoc facerent, non itidem ἕως pro ἄχρις οὗ substituisse. Equidem anceps haereo, utrum Particula retinenda, an, secundum *Rom.* XI: 25. *Gal.* III: 19. IV: 19, delenda sit, uti 1 *Cor.* XI: 26. Quidquid vero huius rei est, dissimilitudo orationis PAULI et Interpretis Veteris confirmat, quod supra monuimus, Apostolum Poëtae carmen non excitasse, sed verbis eius tantum usum esse, prouti suae causae accommodata essent.

Iam Interpretatio Verborum: ἄχρις οὗ [ἂν] θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, non video, cur multos tantopere exercuerit. Vocabulo ἐχθροὺς non solum *adversarios humanos*, sed *alios* etiam significari, cum ex Adiectivo πάντας apparet, tum ex vs. 26, ubi *mors* commemoratur. Imago, ut omnes norunt, desumta est a ferocia regum Orientalium, qui in throno sedentes hostibus bello superatis pedes suos imponebant, ut corpore eorum tanquam scabello uterentur. Scriptores Orientales imitans LIVIUS [1]) scripsit: *Obnoxios pedibus eorum subiecit.* Sed de notione Particularum ἄχρις οὗ sine causa etiam Interpretes ab antiquo disputarunt. Nimirum iam veteres cavere volentes, ne verba PAULI incurrerent in *Luc.* I: 33 aliosque locos, ex quibus eruebant, regnum CHRISTI aeternum fore, his vocabulis vim tribuerunt alienam. CHRYSOSTOMUS: οὐ τέλος ἐπιτιθεὶς τῇ βασιλείᾳ τὸ, ἄχρις, εἶπε. Similiter THEODORETUS, OECUMENIUS

———

[1]) *Hist.* Lib. XLV. Cap. 31.

aliique, recentioris etiam aetatis, Interpretes, uti HEYDENREICHIUS, qui non *terminum ad quem*, sed *tractum temporis* indicari contendit. Quod FLATTUS, quamquam de huius loci explicatione dubitans, fieri posse confirmavit ad NOLDII et HOOGEVEENII scripta provocando. Sed hoc brevitatis causa praetermisso, animadvertendum est, Particulas ἄχρις οὗ in PAULI Epistolis aliter non usurpari, quam ad *terminum* rebus, quae tractantur, *statuendum*, ut loci docere possunt supra allati. Deinde nexus huius versus cum praecedenti, ubi CHRISTUS *regnum* Deo et Patri *tradens* inducitur, omnino postulat, ut eodem modo Particulas illas interpretemur. Hanc autem interpretationem, praeter multos alios, probarunt RÜCKERTUS, MEIIERUS, OSIANDER. Ergo scribens auctor: *usque dum subiecerit omnes hostes pedibus suis*, praedixit fore, ut CHRISTUS regnare desinat, quam primum Deus ei subiecerit omne, quod adversetur. Neque hoc incurrit in locos, qui aeternitatem regni CHRISTO destinati vel mandati praedicant. Nam *aeternitas* ibi proponitur *haud maioris amplitudinis, quam hic rerum humanarum ordo capiat*, ut *Luc.* I: 33 verba καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος explicantur praecedentibus: καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ εἰς τοὺς αἰῶνας. Fraudem vero sibi haud pauci fecerunt *regnum* hîc memorari opinando *diversum* ab ita dicto *mediatorio*, quod PAULUM spectasse iam viderunt CALVINUS, MELANCHTHONUS aliique [1]).

Vers. 26.

Digressione facta ad ratiocinandum ex verbis oraculi

[1]) Cf. NOESSELTUS, *de Christo homine regnante* § 15. *Opusc. ad Interpr.* S. S. Fasc. II. p. 376 sqq.

veteris, pronti causae suae accommodata erant, nunc PAULUS orationem sic persequitur: Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. In verbis ἔσχατος ἐχθρὸς cernitur Appositio, quae hanc fieri iubet structuram: ὁ θάνατος, ἔσχατος ἐχθρὸς, καταργεῖται. Articulus autem ea non praecedit, quoniam mors reapse adversariorum similis non est, qui supra memorati sunt, sed his tantum adiuncta est per Prosopopoiiam. PAULUS igitur sibi vult: *Tanquam ultimus adversarius, vi sua destituitur mors;* sermone vernaculo: *Als een laatste vijand* cet. Similiter ἔνδειγμα 2 *Thess.* I: 5. ἀντίλυτρον 1 *Tim.* II: 6. Consentiunt SLICHTINGIUS et plerique interpretes. Recte MEIIERUS et OSIANDER se iis opponunt, qui vocabulum θάνατος interpretantur *Diabolum,* uti iam PELAGIUS, „Diabolus," aiens, „qui in Apocalypsi peccatum et mors appellatur, quia author est peccati et mortis." Neque asseverare ausim quod WETTIUS opinatur, *mortem* memorari, quatenus *potestas* est *Diabolo serviens.* Sed falsa est multorum sententia, hoc loco *mortis tam improborum* rationem haberi, quam *proborum.* Nam, ut mittamus, quae supra disputata sunt, gravi argumento nobis est vocabulum ἐχθρὸς, quod *hostem* 1) vel *adversarium* CHRISTI *eiusque sectatorum,* ut vs. 25 docet, non hostem vel adversarium generis humani, significat. Huc igitur praeter alios ESTIUS iam recte provocavit. Cur autem ille ἔσχατος dicatur, quaestio haud difficilis est. OLSHAUSENIO sane, qui hoc Adiectivo *reluctandi* etiam *vehementiam* denotari monet, loquendi non favet usus. Nihil impedit, quominus, secundum vulgarem eius notionem, scribamus *ultimus.* Nam, uti mors sectatoribus CHRISTI hac in terra versantibus *ultimus hostis* vel *adver-*

1) *Hostem* hic in censum venire, non *inimicum,* ut Vulgatus Latinus interpretatus est, docte probavit VALLA, quem laudarunt ERASMUS et BEZA. Sed quia res non agitur societatis humanae, pro *hoste,* sine culpa, substituere possumus *adversarium.*

sarius est; sic vi eius oppressi tenentur, donec restituantur in vitam. Quare vs. 26, quamvis cum vs. 25, ad speciem generis memorandam, tam arcte cohaeret, ut Punctum ei praepositum in Colon mutandum sit, orationem tamen reducere videtur ad mortuorum restitutionem in vitam, unde facta erat digressio. Verbo *καταργεῖται*, quod aeque ac superius *παραδιδῷ* docet, Praesentia circumiecta urgeri non posse, auctor lectores suos, ut etiam vidit OSIANDER, ad rei futurae spectaculum ducere pergit, mortem non exstinctum quidem iri, sed *vi sua in* CHRISTI *sectatores destitutum iri*, docens [1]). Hinc sequitur, Asyndeton huius loci esse, neque, ut contendit BEZA, seriem orationis postulare, ut ei Particula *δὲ* inseratur. MEIIERO autem aliisque, qui verbo *καταργεῖται* adscribi iubent *a Christo*, obtemperari nequit, si recte se habent, quae de vs. 24 et 25 disputavi.

Vers. 27.

Iterum hoc vs. PAULUS digressionem facere incipit, sed aliam quam supra. Altera enim *tempus* spectat *regni Deo et Patri tradendi*, altera, nisi fallor, *ipsam huius regni traditionem*. Prima verba *πάντα γὰρ ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ* conformata sunt ad *Psalm.* VIII: 6. ubi Hebraea כל שתה תחת־רגליו Interpres Alexandrinus reddidit: *πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ.* Ibi autem Adiectivum *πάντα* respondet praecedentibus *τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου*, et explicatur sequentibus *πρόβατα καὶ βόας* cet. DAVIDES igitur Deum hoc nomine laudat, quod hominis potestati omne animal terrestre, aërium et marinum subiecit. Poëtae vero carmen

---

[1]) Cff. disputata ad vs. 24 de verbo *καταργήσῃ*.

PAULUS ad CHRISTUM transtulit, quippe hominem ceteris omnibus superiorem. Similiter auctor *Ep. ad Hebr.* II: 6 sqq. Unde non sequitur, ipsum Psalmum, ut nuperrime OSIANDER scripsit, esse *Typico-Messianum*, vel CHRISTI personam revera spectare, quod CALVINO, SLICHTINGIO, BENGELIO, HASIO, OLSHAUSENIO, multis visum est aliis [1]). Immo DAVIDI, ut omnis docet oratio circumiecta, alienam mentem affingere cogimur, nisi eum substitisse tenemus in cantanda praestantia, quam homo generatim possidet. PAULUS vero, aeque ac scriptor *Ep. ad Hebr.* Poëtae verba, per interpretationem Allegoricam sibi suisque aequalibus usitatam, ad CHRISTUM convertit, ut, GROTII, MUNTINGHII [2]) aliorumque vestigia persequentes, hodie plerique censent interpretes. Hinc intelligitur quoque, vocabulum πάντα ampliorem notionem habere, quam in DAVIDIS carmine. Quaenam illa notio sit, infra demum examinare poterimus. Verbum autem ὑπέταξεν scriptum esse pro ὑπέταξεν ὁ Θεὸς, communis Interpretum sententia est, praeeuntibus iam CHRYSOSTOMO aliisque Patribus Ecclesiae. Hoc tamen si illi, quotquot praecedens ϑῇ ad CHRISTUM referunt, ex eo sequi aiunt, quod Poëta *Deum* omnia homini subiecisse dicit, videant, quomodo suo se ipsi gladio iugulent. MEIJERUS vero, ubi ad hanc ratiocinationem tuendam monet, in oratione contexta (vs. 26) non aliud subiectum, uti vs. 25, sed Passivum καταργεῖται proponi, non meminisse videtur, se ipsum illud, quod supra improbavimus, interpretatum esse *aboletur a* CHRISTO. Equidem non dubito quoque, quin PAULUS voluerit, ut lectores verbo ὑπέταξεν cogitando adiicerent ὁ Θεὸς, sed mentem eius omnino intelligi non posse puto, nisi ad proxime sequentia oculos convertamus.

1) Cf. UMBREITIUS, *Studien und Kritiken*. Ann. 1838. p. 599 sqq. quem laudavit OLSHAUSENIUS.

2) *Korte aanmerkingen over de Psalmen.* ad h. l.

Verbis ὅταν δὲ εἴπῃ GROTIUS, HEYDENREICHIUS, RÜCKERTUS et plerique, quos WETTIUS etiam sequitur, deesse monuerunt ἡ γραφή. Alii, praeeunte OECUMENIO, ad ea supplenda scripserunt ὁ Δαυὶδ vel simile. STORRIUS [1]) et FLATTUS se Activo εἴπῃ adeo senserunt impeditos, ut illud *Impersonaliter* sumi iuberent. MEIJERO et OSIANDRO visum est intelligere ὁ Θεὸς, quod MERIO aliisque iam antea placuerat. Nemo autem fere interpretum est, quin Particulae ὅταν alienam notionem tribuerit. Incredibile enim est, eam hoc loco aliter reddendam esse, quam et in ceteris omnibus Novi Testamenti locis, non excepto *Ioann.* IX: 5, ubi temere BILLROTHUS eam interpretatur *quandoquidem*, et hoc ipso in Capite vs. 24, 28, 54. Iam vero ubique ad *tempus*, sive Praeteritum, seu aliud, prouti Verbum subiectum postulat, denotandum inservit, ut explicanda sit *eo tempore, quo* vel *quando*. Itaque sic eam, si nobis constare volumus, hoc etiam loco explicare debemus. Quod MEIJERUS animadvertisse videtur; sed verbum εἴπῃ explicari iubens ac si Futurum exactum sit, sententiam dixit, quae neque effato IESU *Luc.* VI: 26, neque ullo Novi Testamenti loco probari potest. Mihi persuasum est, a via aberrari, nisi Graeca ὅταν δὲ εἴπῃ interpretemur: *Quando autem dicit*, scil. huius mundi initio. Atque hoc posito, satis iam exploratum est, reticeri ὁ Θεὸς, non vero ἡ γραφή. Quod vide, quantopere confirmetur animadversione, PAULUM verbo εἰπεῖν 2 *Cor.* IV: 6. VI: 16 adiungere vocabula ὁ Θεός, nusquam vero ἡ γραφή; quae *Rom.* IV: 3. IX: 17 al. cum verbo λέγειν coniunguntur. Similiter ei more receptum est scribere λέγει, ubi memoratur DAVIDES aliusve homo, uti *Rom.* IV: 6. X: 16. XI: 9 al. Finitum autem εἶπε in libris Novi Testamenti, ubi vocabula ὁ Θεός expressa vel intelligenda

---

[1]) L. c. Tom. I. p. 279.

sunt, ad indicandum etiam dictum, temporis Praeteriti usurpari, ostendunt loci similes *Luc.* XII: 20. *Act.* VII: 7. *Hebr.* I: 5, quibuscum comparetur 2 *Cor.* IV: 6, ubi Participium εἰπὼν eodem referendum est. Sententiam, verbum εἴπῃ *Impersonaliter* sumendum esse, quae omni caret argumento, quo nitatur, refellere nihil attinet.

Iam vero ex eo, quod formulam ὅταν δὲ εἴπῃ interpretari debemus: *Quando autem dicit Deus*, scil. huius mundi initio, novum, ut quisque sua sponte intelligit, oritur argumentum verbo ὑπέταξεν cogitando adiiciendi ὁ Θεὸς, quod reticeri docent etiam sequentia ὅτι πάντα ὑποτέτακται. Sed quis nexus est inter formulam illam et praecedentia ὑπέταξεν ὁ Θεὸς, si haec cum RÜCKERTO, MEIERO, WETTIO, OSIANDRO multisque aliis explicamus: DECRETO SUO *subiecit Deus?* Nonne, ut oratio cohaereat, scribatur oportet VERBO SUO? Et sane, ut ita scribamus, nobis ipsum suadet carmen, quod PAULUS imitatus est. Quamvis enim DAVIDES, fastigium illud honoris et potestatis celebrans, in quo Deus hominem collocaverat, nullum Dei dictum excitavit, sine dubio tamen id, quod praedicabat, petiit ex *effato Divino Gen.* I: 26—28, quo homini omne animal terrestre, aërium et marinum una cum tota terra subiectum esse legimus. Ergo nihil magis probabile est, quam Apostolum, quum verba eius ad suam orationem conformaret, *idem illud effatum* spectasse. Quod valde etiam confirmat haec ratiocinatio PHILONIS [1]: *Παρ' ἣν αἰτίαν καὶ γεννήσας αὐτὸν ὁ Πατὴρ ἡγεμονικὸν φύσει ζῶον, οὐκ ἔργῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ διὰ λόγου χειροτονίᾳ καθίστησι τῶν ὑπὸ σελήνην ἁπάντων βασιλέα, χερσαίων τε καὶ ἐνύδρων καὶ ἀεροπόρων. Ὅσα γὰρ θνητὰ ἐν τοῖς τρισὶ στοιχείοις, γῇ, ὕδατι, ἀέρι, πάντα ὑπέταττεν αὐτῷ.*

---

[1]) *De Opific. mundi.* Cap. 28. Tom. I. p. 20. MANG.

Itaque PAULUS, quod Deus fecerat, quum iussu suo animalia quaevis ADAMO, primo hominum, subiiceret, haud secus quam DAVIDIS verba, ad CHRISTUM, alterum ADAMUM, per Allegoriam convertens, Breviloquentia usus est sic supplenda: *Omnia enim ei verbo suo subiecit* i. e. *subiecta esse debere dixit Deus*. Vocabulum πάντα non solum denotat *quidquid regno* CHRISTI *se opponit*, sed etiam *quidquid ad hoc regnum pertinet*. Similiter vocabulum illud usurpatum est *Eph.* I: 22, *Hebr.* II: 8. Et Particula γὰρ maioris amplitudinis esse docet, quod hoc loco, quam vss. 25, 26 legitur. Nunc igitur auctor non tantum probare studuit, omnes adversarios CHRISTO subiectum et mortem exstinctum iri, uti post alios contenderunt RÜCKERTUS et MEIIERUS. Sed multo magis id egit, ut probaret, *non aliter fieri posse, quin* CHRISTUS *Deo*, cuius iussu omnibus praefectus sit, *regnum aliquando tradat*, ipse regnare desinens. Quod nuper WETTIO etiam et OSIANDRO visum est, iam antea BOSVELDIO, PALMIO aliisque, cum nostratibus, tum exteris. Sic autem intelligitur, quid inter verbum ὑπέταξεν intersit et praecedentia ϑῇ et καταργεῖται. Apparet itidem illud neutiquam impedire, quominus haec efficacitati *Dei*, non CHRISTI, tribuantur. Deus enim, qui semel dixit, omnia CHRISTO subiecta esse debere, vi sua facere censendus est, ut dictum suum eventum sortiatur, donec ille regnum sibi demandatum Deo tradere possit. Et vero nunc perspicuum est, cur Paulus pro ὑπέταξεν ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ scripserit tantum ὑπέταξεν. Causa nempe in eo cernitur, quod verba ϑῇ et καταργεῖται, item praecedens καταργήσῃ, *Deum et Patrem* spectant, vs. 24 nominatim laudatum.

Ex adhuc disputatis, si recte se habent, sequitur, verba ὅταν δὲ εἴπῃ, ὅτι πάντα ὑποτέτακται reapse eodem redire ac praecedentia πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. Aoristus tantum excipitur Perfecto, ut

sensus sit: *Quando autem dicit, omnia subiecta sunt.* Nec difficultatem pariunt connexa: *δῆλον, ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα,* quae supplenda sunt repetitione praecedentium *πάντα ὑποτέτακται* [1]). PAULUS, nisi fallor, sibi voluit: *manifestum est, hoc dicto excipi illum, qui omnia ei subiecerit.* Scribere autem potuisset: *δῆλον, ὅτι ἐκτὸς τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός,* sed quo clarius in oculos incurreret, rem loqui ipsam, scribere maluit: *δῆλον, ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα.* Verum haec mirabilis primo adspectu est annotatio. OECUMENIUS ad causam eius explicandam monuit: *Πρὸς ἄνδρας ἀπὸ Ἑλλήνων πιστεύσαντας ἔγραφεν, οἱ δοξάζουσι τὸν Δία, ἐπαναστάντα τῷ οἰκείῳ πατρὶ, ἐξῶσαι αὐτὸν τῆς βασιλείας. Δίος οὖν ἦν, μή τι τοιοῦτον παρ' ἡμῖν ὑποπτεύσωσι;* quod longe quaesitum est, quamquam placuit etiam THEODORETO, THEOPHYLACTO, *Scholiastae* apud MATTHAEUM, et, recentiori aetate, WETSTENIO. Nec multo melius GROTIUS, cuius sententiam HEYDENREICHIUS probavit, sed cum sententia THEODORETI confudit, PAULUM, scripsit, ne Deo omnium rerum opifici iniuriam facere videatur, occurrere pravae interpretationi. Vix enim aut ne vix quidem sibi quis cogitando fingere potest hominem tam insipientem, ut priori huius versus membro abutatur ad obtrudendam Apostolo opinionem, ipsum CHRISTO subiectum esse Deum et Patrem. Quare miror, RÜCKERTUM simile quid repetiisse. Coniectura autem OSIANDRI et aliorum, PAULUM hoc monuisse, ut obviam iret *Gnosticismo, Corinthi* radicem capienti, nihil in hac Epistola aut alibi habet, quo nitatur. Sed nulla restat difficultas, si hanc annotationem tribuimus consilio, non aliorum errores corrigendi, sed stabiliendi illud, quod supra legitur, *fore aliquando, ut* CHRISTUS *regnum Deo et Patri tradat ipse-*

1) Exempla locorum similium affert WINER. p. 652 sqq.

que regnare desinat. Quod si verum est, novum hîc praebetur argumentum statuendi, ratiocinationem vs. 27, 28 inservire ad probandam sententiam vs. 24 propositam.

Vers. 28.

Orationem inceptam Apostolus sic persequitur: *Ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.* Particulam *καὶ* TISCHENDORFIUS, qui eam in Editione priori loco suo moverat, haud sine causa in posteriori restituit; quippe quae a librariis et Interpretibus antiquis omissa esse videtur, quoniam eam indicare putabant, CHRISTUM *eodem modo* ac cetera omnia Deo et Patri subiectum iri. Vocabula *ὁ υἱὸς* temere MILLIUS [1]) ex margine in orationem importata esse coniecit. Uti enim apud scriptores vetustissimos exstant, ita nihil est, quod alios movere potuerit ad ea huic loco inserenda. Contra vero ab hominibus, qui in eorum interpretatione laborabant, hinc expulsa sunt, ne PAULUM doctrinam proponere sinerent in placita sua incurrentem. Utrum ad finem huius versus Articulus *τὰ*, qui Adiectivum *πάντα* praecedit, cum LACHMANNO deleri, an retineri debeat, minus habeo exploratum. Crediderim tamen, Articulum hoc loco, aeque ac Cap. XII: 6. *Eph.* I: 23, ab Apostoli manu profectum, sed ab iis omissum esse, quorum iudicio supervacaneus adeoque molestus esset. Quod iudicium fortasse etiam librorum dissensionem peperit Cap. IX: 22. *Col.* III: 11 [2]).

---

[1]) Cf. WHITBY, *Observ. Phil-Crit.* ad h. l.

[2]) TISCHENDORF. in Ed. I. Articulum expunxit, in Ed. II. eum restituit.

Iam prima verba: Ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, non intelligo, cur STORRIUS vertendo reddiderit: *cum porro subiecta sint ei omnia.* Sine dubio vertendo reddenda sunt: *quando autem* i. e. eo autem tempore, quo *illi subiecta erunt omnia.* Talis autem forma orationis est, ut non explicanda sit: *quando ipse* CHRISTUS *sibi subiecerit omnia*, sed *quando Deus omnia subiecerit* CHRISTO, quod respondet praecedentibus ὅτι πάντα ὑποτέτακται. Atque hinc denuo apparet, verba καταργήσῃ, θῇ et καταργεῖται recte ad *Deum* relata esse.

Quod sequitur: τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα Interpretibus minus negotii creasset, nisi Theologia caliginem multorum obduxisset oculis. Ergo illud, quod veluti ante pedes iacet, non animadvertentes, et PAULUM hîc doctrinam, quam nondum attigisset, in medium attulisse opinantes, ad verba eius explicanda varia commenti sunt hinc longe aliena. Ita iam CHRYSOSTOMUS, huic loco adscribens: τὴν πολλὴν πρὸς τὸν Πατέρα ὁμόνοιαν δεικνύς, quod descripsit THEOPHYLACTUS et secutus etiam est PHOTIUS apud OECUMENIUM. Hoc autem in Passivam verbi ὑποταγήσεται incurrit notionem, quam retineri iubet Participium Activum ὑποτάξαντι. Omnis vero oratio vs. 24 sqq. praecedens hîc cum THEODORETO rationem habere vetat *primitiarum* et *messis*, quibuscum CHRISTUS eiusque sectatores vs. 23 comparantur; aut *capitis*, ut ESTIO, WOLFIO aliisque placuit, una cum *membris* Deo subiiciendi. Et generatim partium studio serviunt, quotquot, HIERONYMO [1]) et AUGUSTINO [2]) praeeuntibus, PAULUM docentem faciunt, *personam* CHRISTI Deo subiectum iri *secundum naturam eius humanam*, ab eius natura Divina bene distinguendam. Cuiusmodi in-

---

1) *Adv. Pelag.* Lib. I. cap. 6.

2) *De Trinit.* Lib. I. cap. 8.

[...]m quum recentiori memoria KRAUSIUS, LEH-
[...]us tueri conarentur appellatione ὁ υἱὸς ex-
[...]ius hominis seu *filius* ADAMI, animadvertere
[...]t in omnibus, ubi ea exstat, Novi Testamenti
Matth. XI: 27. XXIV: 36. *Ioann.* III: 35, 36.
[...]dinem spectari, quam *Filius* habeat cum *Patre*
atque ideo *Dei Filium* praedicari. Sed qui cum
[...]NIO verbo ὑποταγήσεται *id, quod manifestabi-*
[...]oponi arbitrantur, a via quoque aberrant, huic
affingentes, quod inesse nequit circumiectis ὑπέ-
[...], ὑποτέτακται cet. Quid vero plura? Omnia plana
, si sumimus, Apostolum hîc persequi institutum
[...]m confirmandi, quod supra monuisset, fore, ut
[...]RISTUS regnum sibi demandatum Deo et Patri tradat
ipse regnare desinat. Ergo scribens: *tunc etiam ipse*
[...]ilius subiicietur illi, qui ei subiecit omnia, dicere voluit,
Filium Dei, qui idem filius hominis sit, quatenus regni sibi
demandati principatum habeat, aeque ac cetera omnia Deo
et Patri subiectum iri, vel brevius: *finem hac in terra regno*
illi impositum iri, cui Filius a Patre praefectus sit. Quod
uti MELANCHTHONI, CALVINO, CAMERONI et haud paucis
antiquioribus visum est, ita recentiori memoria pleris-
que, etiam WETTIO, nuperrime OSIANDRO. Nec tamen
me iudice, mentem auctoris, magis quam ARII sectato-
res, assecuti sunt, qui se iis opponunt contendendo,
Θεάνθρωπον hîc denotari, quatenus duplicis naturae,
Divinae et humanae, sit. Atque hinc factum puto, ut
difficultatem, quam sibi sustulisse viderentur, revera non
tollerent. CHRISTUM ultro et libenter se Deo et Patri
subiecturum esse regno suo ei tradendo, res ipsa loqui-
tur; sed qui *voluntarium* illud orationi PAULI inesse opi-
[...]nantur, cum WETTIO dicere coguntur, Verbum ὑποταγή-
σεται aliter sumendum esse quam superiora ὑπέταξεν,
ὑποτέτακται cet. Sequentia autem: τῷ ὑποτάξαντι
αὐτῷ τὰ πάντα, ut iteratam *Dei et Patris* descriptio-

nem continent, sic ad interpretationem appellationis ὁ υἱός, quam supra attulimus, corroborandam inserviunt.

In conclusione huius ratiocinationis: ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς [τὰ] πάντα ἐν πᾶσιν OSIANDER monet, appellationem ὁ Θεὸς notionem habere latissime patentem, quae *Trinitatem* comprehendat. Sed salvis interpretandi legibus haec appellatio aliter explicari nequit, quam vs. 24, ubi vocabulis τῷ Θεῷ adiuncta sunt καὶ Πατρὶ ad necessitudinem, quae inter *Patrem* et CHRISTUM intercedit, proponendam. Haec autem cur vs. 28 repetita non sint, in eo cernitur causa, quod PAULUS hîc necessitudinis illius non amplius rationem habuit. Filius enim, quam primum regnum Deo et Patri tradiderit, munere sibi demandato, ut homines colligeret et ad beatitatem perduceret, perfunctus erit. Ergo solus nunc memoratur *Deus*, et quidem appellatione τοῦ Θεοῦ, quae ubique in libris Novi Testamenti *Deum* O. M. significat, de quo Apostolus *Rom.* XI: 36 scripsit: ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. Quid vero sibi volunt circumiecta? Particulam ἵνα pauci sunt, qui cum HEYDENREICHIO denotare negent *consilium*, quod ea denotari solet [1]. Nec quaestio, utrum vocabulum πᾶσιν Masculini, an Neutrius generis sit, tam difficilis est, ut WETTIUS recte egerit in dubium vocando, quod scripsisset antea. Huic enim illud cum plerisque Interpretibus omnino praeferendum est, ut digressionis conclusio principio suo (vs. 23) respondeat. Accedit grave argumentum, quod praebent loci similes 1 *Cor.* IX: 22. XII: 6. *Eph.* I: 23. *Col.* III: 11, ex quibus intelligimus, PAULO usitatum fuisse, ut Masculinum πᾶσι cum Neutro πάντα coniungeret, quemadmodum utrumque etiam coniunctum reperimus *Luc.* XXIV: 9. *Act.* XVII: 25. Eodem loci tendunt haud pauci, quos ex Graecorum et Romano-

1) Cf. WINER. p. 537 sqq.

rum libris excitarunt RAPHELIUS, KYPKIUS, ALBERTIUS, PALAIRETUS, WETSTENIUS. Ceterum vero exempla, ab iis allata, haud multum valere ad mentem Apostoli explicandam, ex litibus apparet, quas adhuc Viri Docti de ea agitare pergunt.

Utique, si hoc in Capite, ut supra mihi probasse videor, nihil aliud proponitur, quam futura sectatorum CHRISTI beatitas, cadit sententia ab ORIGENE [1]) aliisque in medium allata et nuper ab OLSHAUSENIO, WEIZELIO [2]), KERNIO [3]), WETTIO, SCHOLTENIO [4]) etiam, commendata, sed a MEIIERO, OSIANDRO et GEORGIO [5]) improbata, PAULUM hoc loco *adversariis* CHRISTI, cum inter homines, tum inter naturas humana superiores, aeque ac piis Dei cultoribus spem beatitatis fecisse. Quod quominus feratur, vetat etiam vs. 26, ubi *mors* inter *adversarios* CHRISTI collocatur; item notio verbo καταργεῖν tribuenda. Neque ei favent, quae in Novi Testamenti scriptis et ab ipso PAULO *Rom.* II: 5 sqq. VI: 21. 1 *Cor.* I: 18. 2 *Cor.* II: 15, 16. IV: 3. *Gal.* VI: 8. *Phil.* III: 19. 2 *Thess.* I: 9 proposita sunt, quidquid ex *Rom.* XI: 32. *Phil.* II: 10, 11. *Col.* I: 19, 20 et nonnullis aliis locis in contrariam partem sequi videtur, aut ex consideratione amplitudinis Doctrinae Christianae, virtutumque Divinarum et indolis naturarum, quae ratione praeditae sunt, peti solet. Sed, si soli CHRISTI sectatores hîc in censum veniunt, falluntur quoque plerique Interpretum, qui PAULUM hanc spem *omnibus* fecisse aiunt *hominibus probis*, quotquot a generis humani incunabulis hac in terra vixerint. Nec sane video, quomodo cohaereat ora-

---

[1]) *De Princip.* Lib. III: cap. 5. Tom. I. p. 151.

[2]) L. c. p. 972.

[3]) *Tubing. Zeitschr.* 1840. Part. 3. p. 24.

[4]) L. c. *Tom.* II. p. 72, 373.

[5]) L. c. p. 24, 25.

tio, Filium Deo et Patri subiectum iri, ut *iis, qui ante* CHRISTUM *hac in terra versati sunt, vel eum saltem non cognoverunt,* Deus omnia sit. GERDESII autem aliorumque disputatio, vocabula ἐν πᾶσιν CHRISTUM eiusque sectatores pariter comprehendere, admodum vereor, ut constare possit cum praecedentibus: τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται, prouti ea supra exposita sunt. Sed quamvis satis certum est, ea ad solos CHRISTI sectatores referenda esse, ne vel sic tamen diremta quaestio est, quid PAULUS sibi voluerit, quum scriberet: ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς [τὰ] πάντα ἐν πᾶσιν. Fortasse Apostolus verbis usus est, quae sensus quis obscurior ei magis quam meditata rei cogitatio suggerebat. Hinc in commentarios satis multos transiisse videtur interpretatio tam vaga et incerta, ut varias sententias ex ordine recensere arduum sit. Quod novo nuperrime documento ostendit OSIANDER, qui in optione facienda fluctuavit ipse. Hactenus Virorum Doctorum placita distinguere possumus, ut alii *ipsius* tantum *Dei* rationem haberi putaverint; alii proponi contenderint, quis et qualis Deus *omnibus* sit ab Apostolo commemoratis; alii *utrumque* coniunxerint. Tripliciter vero peccatum esse reperi: arctissimo, nempe, horum verborum et praecedentium disturbando nexu; imminuenda vi Adiectivi πάντα, sive solius, seu, quod hîc eodem redit, cum Articulo τὰ compositi; Praepositione ἐν denique negligenda. His autem tribus cavendis, orationi, MEIJERO aliisque ducibus, sensum tribuemus, ad mentem auctoris, si eam non omnino assecuti sumus, proxime accedentem. Ergo hac similive circumlocutione verba explicentur: *ut nunc solus Deus in omnibus a* CHRISTO *ad regnum suum collectis omnium bonorum auctor esse cernatur.* Postrema *esse cernatur* cum nonnullis Interpretibus, pro Graeco ᾖ posui, non quidem propter exempla locorum, ubi verbum εἶναι vel aliud sic accipiendum esse dici-

tur [1]), sed quod Praepositio ἐν hoc postulare videtur. Nihil comparatu dignius est, quam quod legimus *Col.* III: 11: τὰ πάντα (πάντα) καὶ ἐν πᾶσιν Χριστός, ubi PAULUS, nisi fallor, dicere voluit: *Omnium bonorum auctor et in omnibus, sive Graecis, seu Iudaeis, esse cernitur* CHRISTUS. Hinc vero differunt verba HERODOTI [2]): Πάντα δὴ ἦν ἐν τοῖσι Βαβυλωνίοισι Ζώπυρος, aliaque a viris doctis allata.

Vers. 29.

Ab utraque digressione nunc PAULUS redit ad doctrinam, sectatores CHRISTI morti succumbentes in vitam revocatum iri. Quomodo inceptum persequatur, sub iudice lis est. Oratio enim, quam hoc loco legimus, *crux interpretum*, uti ab antiquo fuit, sic nondum esse desiit.

Ingeniosa coniectura VALCKENARII est, PAULUM in priori huius versus membro scripsisse ἀπ' ἔργων νεκρῶν, non vero, ut libri exhibent, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Neque ei obstant sequentia ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quippe quae GRIESBACHIUS, LACHMANNUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS, TISCHENDORFIUS summo iure mutarunt in ὑπὲρ αὐτῶν, quod WHITBYUS aliique antiquiores frustra improbarunt. At haec ipsa ὑπὲρ αὐτῶν tamen ita comparata sunt, ut eadem maneat difficultas, ad quam tollendam correctio proposita est. Quid? quod in scriptis veterum nihil plane exstat, quo ea nitatur. Et ipse VALCKENARIUS aetate provectior eam iuvenilem vocavit coniecturam, veritatem, ut aiebat [3]), nunc arbitrans in

---

[1]) Cf. GLASS. Tom. I. p. 225 sqq.

[2]) *Hist.* Lib. III. cap. 157, ubi Cf. BAEHR.

[3]) *Annot. crit. in loca quaedam libr. s. N. T.* subiect. T. HEMSTERHUSII *orat.* cet. p. 333.

profundo adhuc latere. Multo minoris ponderis sunt, quae BOWYERUS aliique ad Editionem Receptam emendandam in medium attulerunt. Una restat quaestio, utrum verba εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται ad prius, an ad posterius orationis membrum referri debeant. Sed Particula ἐπεὶ, huic versui praeposita, gravissimum, ut videbimus, praebet argumentum illi structurae hanc praeferendi. Ergo non dubito, quin legendum sit: Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν; Prius autem membrum si in luce collocatum esset, posterius sine magno negotio intelligeretur.

Particula ἐπεί, si loquendi usum observare volumus, in libris Novi Testamenti tritum, ubique [1]) causalem habet notionem, Latinae *nam*, vel *quoniam*, vel *quandoquidem* respondentem [2]). Nonnullis quidem in locis Lexicographi eam interpretantur *alioqui*; sed hoc vocabulum Latinum, quamvis eo sine culpa utemur ad sensum orationis explicandum, plus tamen significat, quam ipsi Particulae inesse possit. Huic enim, ubi ratiocinatio nexu caret, ex praecedentibus adiici debent, quae per Breviloquentiam omissa sunt [3]). In aliis igitur locis scribatur oportet: *nam, si hoc ita est;* in aliis: *nam, si hoc ita non est.* Et illud quidem requiritur *Rom.* III: 6. XI: 6. 1 *Cor.* V: 10. *Hebr.* IX: 26. X: 2, hoc vero *Rom.* XI: 22. 1 *Cor.* VII: 14. Primo adspectu excipiendum est, quod legitur 1 *Cor.* XIV: 16, ubi Particulam ἐπεὶ se-

---

[1]) Exceptionem non admittit *Luc.* VII: 1, ubi cum LACHMANNO et TISCHENDORFIO pro ἐπεὶ δέ ad fidem codicum substituendum est ἐπειδή.

[2]) GROTIUS aliique Particulam ἐπεί hoc in loco vertendo reddi iusserunt *praeterea* vel *deinde*, quam notionem ei vindicare conatus est VIGERUS p. 400, 401, sed summo iure HERMANNUS ibidem denegavit. Hanc autem quaestionem minus spectant, quae Vir Doct. de Particula ἐπεί disputavit in *Opusc. Acad.* Tom. IV. p. 103.

[3]) Cf. BERNHARD. p. 455 sqq. 482 sq.

quuntur verba *ἐὰν εὐλογήσῃς* vel *εὐλογῇς* [*τῷ*] *πνεύματι*; quae TISCHENDORFIUS, demto Commate, quod interpositum est, arcte cum ea coniunxit. Sed si animadvertimus, vocabula *τῷ νοΐ* vs. 15 graviora esse quam *τῷ πνεύματι*, atque ideo vs. 16 praeteriri non posse, admittere cogimur Breviloquentiam sic tollendam: *Nam, si Deum non laudas* [*τῷ*] *νοΐ, quomodo ille, qui locum tenet hominis indocti, posito, te Deum laudare* [*τῷ*] *πνεύματι, dicet* cet. Ergo hîc etiam intelligi debet alterutrum, et quidem propter praecedentia formula negans: *Si hoc ita non est.* Sed quamvis hoc ipsum cum OSIANDRO aliisque interponendum censemus verbis *ἐπεὶ, τί ποιήσουσιν*, nexus orationis nondum constitutus est. OECUMENIUS *Πάλιν*, ait, *εἰς τὸν τῆς ἀναστάσεως ἦλθε λόγον, καί φησιν, εἰ ἀνάστασις οὐκ ἔστιν, οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τί ποιήσουσι; τουτέστιν ὡς μὴ ἀνισταμένων.* Similiter PAULUM nunc a digressionibus ad disputationem de reditu mortuorum in vitam redire plerique putant Interpretes, quorum causam WETTIUS tueri conatur. Sed in viam rediens Apostolus Particula *οὖν* uti solet, ut Cap. VIII: 4. XI: 20, etiam XV: 11. Particula vero *ἐπεί* in Epistolis eius alibi, nisi fallor, non exstat, quam ubi ratio habetur orationis proxime praecedentis. Eodem igitur hîc etiam referenda est cum Interpretibus, quibus assentitur MEIJERUS, ut PAULUM sibi voluisse statuamus: *nam, si ita non est, adventurum tandem esse tempus, quo Deus in omnibus a* CHRISTO *ad regnum suum collectis omnium bonorum auctor esse cernatur.* Huic tamen sententiae implicite inesse doctrinam *reditus mortuorum in vitam,* non est, cur OSIANDRO minus concedamus.

Verba sequentia *τί ποιήσουσι* explicari nequeunt, nisi praecedat interpretatio Participii sequentis *βαπτιζόμενοι.* ALBERTIUS, PALAIRETUS, NOESSELTUS [1]), ZIE-

---

[1]) *Opusc.* F. I. p. 123.

GLEAUS [1]) aliique ei itemque verbo βαπτίζονται notionem tribuerunt figuratam, quam reperimus *Marc.* X: 38, 39. *Luc.* XII: 50 et, in Editione Recepta, *Matth.* XX: 22, 23. Sed in locis illis circumiecta postulant, ut hanc notionem, *mortem* IESU intelligentes, alii praeferamus, in PAULI oratione non item. Verbum βαπτίζειν, quod, uti docent STEPHANUS aliique Lexicographi, proprie respondet Latinis *mergere*, *immergere*, *abluere* etiam vel *lavare*, in libris Novi Testamenti ad *initiandi ritum* translatum est. Ibi autem haec eius notio, propter frequentem usum, notionis propriae vicem sustinet, et ita quidem, ut nullo in loco, ubi Verbum *absolute* positum est, ab ea discedere liceat. Quare hîc etiam Participium βαπτιζόμενοι et Verbum βαπτίζονται inserviunt ad homines indicandos, qui *lustrali aqua tinguntur*, vel *baptismum subeunt*. Quod si quis gravi argumento urgere vult, animadvertat, in Epistolis PAULI verbo βαπτίζεσθαι nihil aliud significari, quam *initiationem*, et, excepto 1 *Cor.* X: 2, *ritum initiandi Christianum*. Iam in quaestione, utrum Participium βαπτιζόμενοι Passivum an Medium sit, non valde laborabit, qui et orationis observaverit gradationem, in Apodosi membri posterioris τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν reperiundam, et hanc Apodosin verbis prioris membri τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν respondere viderit. Utrumque enim indicio est, homines hîc aeque proponi *agentes* i. e. *baptismo se submittentes*, ac *Luc.* VII: 29, 30. *Act.* II: 38. IX: 18. XVIII: 8, quorum in locorum plerisque Aoristus I Passivi legitur. Et Passivum sine dubio Medii notionem habet 1 *Cor.* X: 2, si ibi cum LACHMANNO scribendum est ἐβαπτίσθησαν, quod multi praebent libri veteres [2]). Sed si, uti propter argumenta interna pro-

---

[1]) L. c. p. 94, 95.

[2]) Vide WINERUM p. 302 coll. 294, 295. KÜHNERUM Tom. II. p. 18.

babile est, retineri debet Receptum ἐβαπτίσαντο, cuius simile tantum exstat *Marc.* VII: 4. *Act.* XXII: 16; hinc etiam intelligimus, Apostolum, notione Medii formae βαπτίζομαι subiicienda, a suo loquendi usu non discessisse.

Viam nunc munivimus lustrandae formulae τί ποιήσουσιν, *quid facient?* Iure meritoque WETTIUS cum OLSHAUSENIO aliisque reprobat interpretationem BILLROTHI: *quid eos facere apparebit,* quippe orationi affingentem, quod eam enervat. At ei tamen assentiri non possum, ubi verba explicat: *quid faceremus,* quo Futurum Indicativi in Praeteritum Coniunctivi mutatur. Magis arridet, quod monet Vir Doctus, interrogatione significari *amentiam* eorum, qui hîc agentes inducuntur. Similiter HEYDENREICHIUS, FLATTUS, MEIIERUS, multi alii, etiam OSIANDER, quamquam fluctuans. Sed nequidquam provocatur ad verba: τί ταῦτα ποιεῖτε et τί ποιεῖτε κλαίοντες, *Act.* XIV: 15. XXI: 13, ubi Praesens legitur, neque Articulus οἱ exstat. Multo minus audiendi sunt, qui coniuncta τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι vertendo reddi iubent: *cur baptizantur,* cum ELSNERO temere praesidium quaerentes in dicto τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον, *Marc.* XI: 5. Utique haec, salvo loquendi usu, aliter explicari posse non video, quam: *Quid* (postea) *facient, qui se* (nunc) *baptismo submittunt?* Futurum, nempe, et Praesens inter se distinguenda sunt, quemadmodum *Luc.* I: 35. *Rom.* V: 17. 1 *Cor.* XIV: 16 al. Sed ad notionem formulae τί ποιήσουσιν definiendam comparari quoque debent similia: τί ποιήσομεν, ἄνδρες ἀδελφοί (*Act.* II: 37.); τί ποιήσω, Κύριε (Cap. XXII: 10.); item τί ποιήσω, ὅτι οὐκ ἔχω, ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου (*Luc.* XII: 17.) et τί ποιήσω, ὅτι ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ᾽ ἐμοῦ (Cap. XVI: 3.). Ex his autem apparet, ita rogare, qui in angustias compulsi se expedire nesciant. PAULUS igitur sibi voluisse videtur: *Nescient* (postea), *quid agendum sit, qui se* (nunc) *baptismo submittunt.*

Quid vero haec expedivisse iuvat, quamdiu impedita manent sequentia **ὑπὲρ τῶν νεκρῶν**? Varios Interpretum conatus ad nodum solvendum, iudicio interposito, memorarunt WOLFIUS, MOSHEMIUS, HEYDENREICHIUS, GURLITTUS, OLSHAUSENIUS, MEIERUS, OSIANDER, inter nostrates GERDESIUS, BOSVELDIUS, MEBIUS, PALMIUS. Commenta autem iam diu refutata denuo examinare nihil attinet. Ergo sibi relinquatur, periclitatio verba *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* vel interpretandi *pro mortuo* sc. CHRISTO, vel *mortis causa*, vel *ut mortem avertant;* item haec distinctionis mutatio: *τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι; ὑπὲρ τῶν νεκρῶν;* tum quoque opinio, hac facta structura *τί οἱ βαπτιζόμενοι ποιήσουσιν ὑπὲρ τῶν νεκρῶν;* verborum sensum esse: *Quid lucri homines, baptismo se submittentes, prae iis facient, qui in Iudaeorum Gentiumque superstitione mortui sunt* [1]*?* Nec longa disputatione opus est ad refellendam interpretationem, quae inter haec duo *τῶν νεκρῶν* et *νεκροὶ* nihil interesse sumit. Equidem credere non possum, sine causa factum esse, ut PAULUS, et hoc in versu Genitivo *τῶν νεκρῶν* Nominativum *νεκροὶ* sine Articulo subiiceret, et eodem vocabulo in circumiectis ter (vs. 35, 42, 52.) cum Articulo, octies (bis vs. 12, tum vs. 13, 15, 16, 20, 21, 32.) sine Articulo uteretur. Iam SCALIGER multis, etiam BOSVELDIO et HASIO, dux fuit utriusque distinguendi, quod sibilis explosum nollem a COMBEFISIO [2]), et re-

---

1) Nuper BERGMANNUS noster, in Literis mihi scriptis, pro doctrina sua id strenue egit, ut hanc interpretationem tueretur. Et luculenter ostendit, sequentia *τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν* commode explicari posse: *Quid baptismo se submittunt prae iis*. At haec tamen ipsa, nisi fallor, docent, praecedentia *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* cum Participio *βαπτιζόμενοι* connectenda esse. Deinde frustra quaeruntur exempla locorum, in quibus Praepositio *ὑπέρ*, Genitivum post se habens, conveniat Latinae *prae*. Tum formula *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, si quid video, referri nequit ad *homines, in Iudaeorum gentiumque superstitione mortuos*, quorum nullum vestigium in oratione contexta est. Cf. HEYDENREICHII disputatio adversus RICHTERUM, qui eandem sententiam proposuit.

2) Ad CLEM. *Alex*. Tom. II. p. 974 POTT.

prehensum a GLASSIO [1]). Hoc autem nomine differre videntur νεκροί et οἱ νεκροί, ut alterum generatim mortuos significet, alterum mortuos CHRISTI sectatores.

Quid vero sibi velint coniuncta οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quaestio est omnium difficillima. Praesertim a multis, quos HEYDENREICHIUS, MEIIERUS et OSIANDER refutarunt, peccatum est aliena notione Praepositioni ὑπὲρ tribuenda. Quod praeter LUTHERUM, ESTIUM aliosque, quotquot, hac Praepositione *locum* denotari putantes, Graeca ὑπὲρ τῶν νεκρῶν interpretabantur *super mortuis*, etiam fecit BENGELIUS, quem ipse quodammodo secutus est OSIANDER. Urgere quidem nolo, quod MEIIERUS monuit, Particulam illam in libris Novi Testamenti, ubi post se habeat Genitivum, ad *locum* significandum non usurpari. Quidni enim fieri potuit, ut PAULUS semel tantum imitaretur, quod apud scriptores exteros satis tritum est [2])? Sed animadvertendum est, Praepositionem ὑπέρ in horum scriptorum libris non exstare, nisi coniunctam cum Verbo aut Nomine, quod ad spatium ante oculos ponendum inserviat, ut si apud LUCIANUM [3]) legimus: κατέκλινε μικρὸν ὑπὲρ τοῦ πλουσίου, vel apud XENOPHONTEM [4]): Ὁ ἥλιος τοῦ θέρους ὑπὲρ ἡμῶν καὶ τῶν στεγῶν πορευόμενος. Hîc vero praecedentia οἱ βαπτιζόμενοι, quibus ritus *immergendi in aquam* denotatur, nullam, qua explicetur formula ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, spatii ferunt cogitationem. Quamobrem huius sententiae patroni ex suo ingenio unum alterumve in orationem importare coguntur, uti BENGELIUS inter-

---

[1]) Tom. I. p. 141, 142. WINERUS quoque, ad quem OSIANDER provocat, p. 140, τοὺς νεκροὺς et νεκροὺς non distinxisse videtur. Recte tamen monet, in libris Novi Testamenti vulgo ἐγείρειν, ἐγείρεσθαι, ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, sed ἐγείρεσθαι, ἀναστῆναι ἀπὸ τῶν νεκρῶν reperiri.

[2]) Verba sunt WINERI p. 458.

[3]) *De merc. cond.* Cap. 14 Opp. Tom. I. p. 670 REITZ.

[4]) *Mem. Socr.* Lib. III. Cap. 8. § 9.

pretans: *iam iam*, vel ob decrepitam aetatem, vel ob morbum aut luem, vel per martyrium, *mortuis accumulandi*, seu *devenientes ad mortuos et mortuis quasi imminentes*. Haud dubie Praepositioni ὑπὲρ tribuenda notio est, quam ei ad vs. 3 vindicavi, ut *id* significet, *quod in personam vel rem confertur, vel collatum est*. Verba igitur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν explicanda sunt: *ut commodo sit mortuis*, seu *ut in mortuos conferatur, quod iis prosit*. Atque hinc intelligitur, ab iis quoque dissentiendum esse, qui scribunt *propter mortuos*, et hoc, cum ELSNERO, explicant: *ut veniant ad mortuos;* vel: *propter ea, quae in mortuis cernunt*, quod SPANHEMIO [1]) et WOLFIO placuit, nec prorsus displicuit HEYDENREICHIO.

Omnibus calculo subductis, nihil aliud superesse videtur, quam ut *baptismum* hic proponi putemus *vicarium, quem viventes subierint pro hominibus, priusquam eius participes fieri possent, fato defunctis*. Haec interpretatio ab AMBROSIASTRO aliisque veteris memoriae in medium allata et a SCALIGERO, GROTIO, MICHAELE, BILLROTHO probata, RÜCKERTO [2]) quoque et MEIERO se adeo commendavit, ut eam unam esse monerent, quae cum PAULI oratione congrueret. Uti vero WETTIO scrupulus restitit, sic satis multi, etiam BOSVELDIUS, OLSHAUSENIUS et OSIANDER in contrariam partem disputarunt. Neque omnino levius disputatum est. Sed brevitatis causa cetera praeteriens, subsistam in afferendis argumentis, quae graviora habeo. Et primum quidem nulla se baptismi huiusmodi vicarii vestigia produnt apud scriptores antiquiores TERTULLIANO [3]), qui ipse etiam a testando, talem baptismum suo tempore alicubi

---

[1]) *Exercitat.* ad 1 *Cor.* XV: 29. *Opp. Theol.* Tom. III. p. 615.

[2]) Denuo RÜCKERTUS hanc interpretationem defendisse dicitur in *Expositione loci Pauli* 1 *Cor.* XV: 29. Ien. 1847, quam mihi tamen oculis videre non contigit.

[3]) *Adv. Marcion.* Lib. V. Cap. 10. Cf. liber *de resurrect. carn.* Cap. 48.

usitatum esse, longe abfuit, sed, in disceptandi cum *Marcionitis* fervore, tantum sumsit fieri potuisse, ut PAULI aetate hic mos *Corinthi* vigeret et rationem eius haberet Apostolus [1]). Atqui a verisimili abhorret, se inter Corinthios CHRISTI sectatores iam quadriennio vel quinquennio, postquam societas eorum condita esset, insinuasse superstitionem, quae tantum in homines cadere posset baptismum multo pluris aestimantes, quam illorum dierum ferret simplicitas. Quod autem EPIPHANIUS [2]) se *traditioni* debere narrat, eiusdem superstitionis et *Cerinthianos* fautores fuisse, et memoriam a PAULO conservatam esse, ipse continuo respuit verbis: *Καλῶς δὲ ἄλλοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες, φασὶν* cet. atque sic alii interpretationi calculum suum adiicit. CHRYSOSTOMUS vero eam, utpote ex putido *Marcionitarum* errore profectam, breviter redarguit, aranearum, ut ait, telas diutius conscindere fastidiens. Sed etiamsi ille Apostoli verba sic explicasset, profecto sententia viri, qui seculo demum vixit quarto ad finem vergente, non maioris fuisset auctoritatis, quam AMBROSIASTRI, ubi scripsit: „In tantum stabilem et ratam vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem mors praevenisset, timentes, ne aut male, aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat: vivus nomine mortui tingebatur. Unde subiicit: quid et baptizentur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fidem fixam in resurrectione ostendit." Itaque nullum plane antiquitatis est testimonium fide dignum, quo haec nitatur interpretatio. Deinde incredibile esse videtur, PAULUM homines, qui *Corinthi*

---

[1]) Cf. NEANDER, *Allgem. Geschichte der Christl. Religion und Kirche*. Tom. I. p. 812.

[2]) *Haeres.* VIII. Lib. I. Tom. II. p. 114 *Col.*

reditum mortuorum in vitam negarent vel in dubium vocarent, refellisse usurpando exemplo, cui, ut CALVINUS ait, opponere possent: Quid nos anili superstitione urges, quae nec tibi quidem probatur? Tum quoque Apostolus, qui vs. 30 sqq. ad tuendam doctrinam, mortuos in vitam redituros esse, nullis aliis argumentis quam gravibus utitur, hoc loco censendus non est a se impetrare potuisse, ut ratiocinationem adhiberet ab hominum aliquot vanitate petitam, neque appositam ad hominibus erectioris ingenii persuadendum, se beatitatem consecuturos esse. Qui cum MEIJERO aiunt, auctorem argumentari *ex concesso*, videant, quaeso, an in huiusmodi argumentatione praesidium quaeri soleat, nisi persuadendi vis ei inesse censeatur. Denique PAULUS si vs. 29 homines tantum spectat vicibus eorum functos, qui ante mortem suam baptismum non subierunt, vs. 30 in disputando saltum fecit causae suae nocentem, quum ab his continuo ad se suosque adiutores transiret, ceteros, quotquot alio et meliori quidem consilio ad ritum sacrum accedebant, vel dura quaevis pati quam CHRISTUM deserere malebant, silentio praetermittens.

Utique, si quid video, probabilis tantum interpretatio verborum *οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* est, quae ea ad omnes refert, quotquot aetate PAULI per baptismi ritum CHRISTI communionem ingressi sunt. Mihi aliquando in mentem venit cogitatio, Apostolum sibi voluisse: *Qui ex Iudaeorum gentiumque societate ad* CHRISTI *communionem transeunt, ut mortuis eius sectatoribus, quos exteri vituperare vel despicere soleant, honori et commendationi sint.* Et hoc quidem tam singulorum verborum notioni accommodatum est, quam circumiectis. Praepositionem quod attinet *ὑπέρ*, cff. *Ioann.* I: 30. *Act.* V: 41. IX: 16. 1 *Cor.* X: 30. 2 *Cor.* XII: 5. 2 *Thess.* I: 4. Sed interpretationem urgere nolo, quae tenuiorem, quam oportet, sensum orationi constituere

videtur. Itaque sperans, me disputando nonnihil eo contulisse, ut mentis PAULI assequendae via feliciori ingenio muniretur, progredior ad alterum huius versus membrum: *Εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν;* Minus recte BENGELIUS cum aliis monet, Particulas *ὅλως* et *καὶ* sibi invicem respondere. Altera inservit ad negandum omnem *omnino* mortuorum reditum in vitam, quemadmodum IESUS, *Matth.* V: 34, eius usu omne omnino iusiurandum vetuit. Altera orationi interposita est, quemadmodum *Rom.* VIII: 24 Pronomini *τί* et Verbo *ἐλπίζει*, ut *sperari etiam non posse* declaretur, quod quis videat oculis. In postremis *ὑπὲρ αὐτῶν*, quae proximo *νεκροὶ* respondent, praecipua huius Apodoseos vis esse nequit, quemadmodum in praecedentibus *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*. Ceterum dubitari nequit, quin verba interpretanda sint: *Si nulli omnino mortui in vitam revocantur, quid est, quod baptismo se submittant pro iis?*

Vers. 30.

Novum PAULUS, quo lectores suos ad spem vitae beatae erigat, superioribus addit argumentum: *τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν;* Quod legens nemo erit, qui ex versu praecedenti nolit repetere: *εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται.* Verbo *κινδυνεύομεν* absolute posito, praesertim, uti *Luc.* VIII: 23 et alibi, *capitis discrimen* significari, ex oratione circumiecta intelligimus. Formulae autem *πᾶσαν ὥραν* haud scio, cur RÜCKERTUS aliique Hyperbolen inesse contenderint. Omni enim tempore in vitae periculo versati sunt, qui Pronomine *ἡμεῖς* denotantur. CHRYSOSTOMUS PAULUM ratiocinari monuit *ἀπὸ τῆς οἰκείας ψήφου, μᾶλλον δὲ οὐ τῆς αὐτοῦ*

μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν λοιπῶν ἀποστόλων. Sic etiam OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, ESTIUS, BENGELIUS, alii *Apostolos* generatim spectari putarunt. GROTIUS, FLATTUS, BOSVELDIUS iis adiecerunt *ceteros Euangelii praecones*. Et hoc sane praestat sententiae SLICHTINGII, CRELLII, SEMLERI, quae etiam RÜCKERTO placuit, auctorem Plurali ad *se unum* significandum usum esse; quod si alicubi fecit, nusquam certe in locis, ubi a Plurali Singulare distinguitur, ut hac in oratione verbum ἀποθνήσκω a praecedenti κινδυνεύομεν. Sed improbanda itidem est interpretatio: *nos sectatores* CHRISTI, quam, praeeuntibus COCCEIO, HAMMONDO, aliis, sequi etiam videtur PALMIUS. Apostolus enim, ubi usus Pronominis ἡμεῖς ad commemorandos CHRISTI *sectatores* mentem eius non satis explicabat, ambiguitatis evitandae causa, nisi fallor, scripsit ἡμεῖς πάντες, uti 1 *Cor.* XII: 13. 2 *Cor.* III: 18. *Eph.* II: 3. Cf. 2 *Cor.* V: 10. Neque hoc in loco, aeque ac vs. 52 et 1 *Thess.* IV: 15—17, ea inter *viventes* et *mortuos* Antithesis est, ut interpretari liceat: *nos, qui vivimus*. Quae quum ita sint, in vulgari sententia, *Apostolos*, vel *Apostolos ceterosque Euangelii praecones* intelligendos esse, subsisterem, nisi duo essent, quae scrupulum mihi iniicerent. Alterum in eo cernitur, quod dubito, an de *omnibus Apostolis Euangeliique praeconibus* dici potuerit κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν. Alterum oritur ex loquendi usu, si bene animadverti, PAULUM, uti Pronomen ἡμεῖς 2 *Cor.* I: 19. *Gal.* II: 9 expresse *ad se suosque* referat *adiutores*, sic illud 1 *Cor.* I: 23. XI: 16. 2 *Cor.* II: 14, etiam 1 *Cor.* IV: 8, 9, usurpare, ut *secum suos adiutores* coniungat, sive eosdem, quorum nomina Epistolae in fronte gerant, seu (2 *Cor.* I: 8, 9.) alios, nusquam vero comites illos IESU, qui per excellentiam *Apostoli* dicuntur. Quid? quod in locis, in quibus de Euangelii annunciatione sermo est, Plurale quoque, etiamsi Pronomen ἡμεῖς ei adiectum

non sit, *hos adiutores una cum* PAULO spectare videtur [1]), nisi *Apostolorum* commemoratio, ut supra vs. 15. coll. vs. 9—11, 14, praecedat aut sequatur. Ab illa autem oratione quum longius distet vs. 30, quam ut notionem Pronominis hoc in loco definire possit, satis fidenter interpretor: *ego meique,* (ut nostis ipsi) *adiutores.*

Particulam *καὶ* temere cum Pronomine *ἡμεῖς*, ut bene animadvertit MEIIERUS, connectere volunt Interpretes, qui hoc ex versu argumentum petunt figuratae interpretationis praecedentium *βαπτιζόμενοι* et *βαπτίζονται* defendendae. Neutiquam igitur cum HASIO aliisque scribendum est: *nos aeque atque homines illi, quos commemoravimus.* Immo, Particula *καὶ* cum Verbo *κινδυνεύομεν* coniuncta, hanc mentem PAULO tribuere debemus: *Nequidquam ego meique adiutores pericula etiam subimus.* Quemadmodum nempe haec Particula, ubicunque re-

---

1) Exceptionem admittere non puto 1 *Thess.* III: 1, 2, ubi nihil obstat, quominus verba *εὐδοκήσαμεν* cet. explicemus: *Ego et* SILVANUS *voluimus Athenis sine adiutore esse, et misimus* TIMOTHEUM, *fratrem nostrum* cet. Nam, ut bene vidit WETTIUS, sumere cogimur SILVANUM *Athenas* iam venisse, priusquam PAULUS hac urbe egressus esset, non vero ad eum rediisse *Corinthi* versantem, ut LUCAS Act. XVIII: 5 minus accurate narrat. Apostolum autem Plurali non se unum significasse, perspicue intelligimus ex Cap. I: 8, 9. II: 2, 18, ubi se ab adiutoribus suis, vel uno certe eorum distinxit verbis *ἐγὼ μὲν Παῦλος*, quibuscum fortasse sequentia *καὶ ἅπαξ καὶ δίς* tam arcte cohaerent, ut haec aeque atque illa in Parenthesi ponenda et coniunctim explicanda sint: *me,* PAULUM, *quod attinet, hoc ipse non solum semel, sed bis mihi proposui.* Cff. *Act.* XVI: 19 sqq. XVII: 4, 10. Repugnantiam inter LUCAE et PAULI narrationes, vide, an tollere vel imminuere possimus existimando, solum SILVANUM *Athenas* venisse, quum PAULUS ibi commoraretur; utrumque illa ex urbe TIMOTHEO, qui *Beroeae* mansisset, mandasse, ut *Thessalonicam* reviseret; TIMOTHEUM, itinere peracto, ad PAULUM et SILVANUM rediisse, postquam *Athenis* iam *Corinthum* profecti essent, iisque de sectatoribus CHRISTI Thessalonicensibus nuncium laetum attulisse: nuncio accepto stimulum non solum PAULO, sed SILVANO etiam adiectum esse CHRISTI Iudaeis alacriter praedicandi; LUCAM vero nescientem, SILVANUM iam ad Apostolum reversum esse, priusquam *Athenis* abiisset, hoc soli PAULO tribuisse et scripsisse: *Ὡς δὲ κατῆλθον ἀπὸ τῆς Μακεδονίας ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος.*

spondet Latinae *etiam*, licet Pronomen ἡμεῖς vel simile post se habeat, ad Verbum, sive expressum, seu non expressum (*Act.* X: 47. 2 *Cor.* X: 7. XI: 12.) referenda est; sic satis multi sunt loci, qui eam omnino ita interpretari vetent, ut *subiectum orationis* per eam *cum alio vel aliis comparetur.* Nec hactenus inter se differre locos, in quibus ea Verbum praecedat et sequatur, luculenter docebunt *Matth.* VI: 12. *Ioann.* XXI: 3. *Rom.* VI: 4. 2 *Cor.* I: 6. 1 *Thess* III: 12. 1 *Ioann.* IV: 11. Cum PAULI autem sententia interpretes conferri iusserunt verba CICERONIS [1]): *Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem* cet. PAULUS vero non de *immortalitate animi* disputavit, sed de *beato hominis Christiani reditu in vitam.*

Vers. 31.

Provocatio ad se suosque sectatores PAULUM nunc duxit ad testificandum de *se uno: Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω.* Similiter Apostolus, *se suisque adiutoribus* commemoratis, de *se uno* testificatur 1 *Cor.* III: 10 coll. 9. IV: 14, 15 coll. 8 sqq. 2 *Cor.* I: 23 coll. 21, 22 al. Quibus locis corroborantur ea, quae supra de Plurali ἡμεῖς κινδυνεύομεν disputavi. Verbum ἀποθνήσκω nonnulli cum GROTIO interpretantur: *paratus sum mori,* quos et alii praecesserunt, et CHRYSOSTOMUS, quum ei adscriberet: τῇ προθυμίᾳ καὶ τῷ παρεσκευάσθαι πρὸς τοῦτο. Plerique, etiam OLSHAUSENIUS, RÜCKERTUS, MEIIERUS, WETTIUS, intelligi iubent *mortis periculum,* quod sic expressit CALVINUS: *Obsideor assiduis mortibus quotidie.* Iam quamvis in libris Novi

---

[1]) *Tusc. Quaest.* Lib. I: 15.

Testamenti frustra quaeruntur loci, quibus alterutrum loquendi usu niti probetur, hoc tamen versui praecedenti accommodatius quam illud est, seque propterea quoque commendat, quod PAULUS alibi (2 *Cor.* IV: 11.) de vitae suae discrimine scripsit: *Ἀεὶ γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν.* Conferri merentur, quae ibidem exstant: *ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν* (Cap. I: 9.), item illud *ἐν θανάτοις πολλάκις* (Cap. XI: 23.), quocum convenit querimonia Poëtae (Ps. XLIV: 23.): *Ἕνεκεν (ἕνεκα) σοῦ θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν*, *Rom.* VIII: 36 ad explicandum vocabulum *μάχαιραν* allata. Nec sine causa Viri Docti excitarunt, quod apud PHILONEM [1]) ait FLACCUS, mortem sibi perpetuo imminere videns: *Καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, μᾶλλον δὲ ὥραν προαποθνήσκω, πολλοὺς θανάτους ὑπομένων ἀνθ᾽ ἑνὸς τοῦ τελευταίου.* Hoc enim loco abusus est LOESNERUS [2]) ad confirmandam interpretationem verbi *ἀποθνήσκω*, quam WOLFIUS recensere neglexit, sed iam utrique superiori praetulit LUTHERUS, cui, praeter OSIANDRUM aliosque ab eo laudatos, assensi sunt HASIUS et MEBIUS. Hactenus autem illi conspirant, ut PAULUM dicentem faciant, *vitam suam quotidie deteri malis internis et externis, quae* CHRISTI *causa lubenter subiret.* Sed mutua Virorum Doctorum discrepantia in hac Apostoli conditione, quam nonnulli *mortificationem* appellant, describenda satis evidenter docere videtur, eos verbo *ἀποθνήσκω* notionem tribuere aliunde petitam, quam ex loquendi usu. Deinde, quum in circumiectis (vs. 30, 32.) commemorentur ea, quorum auctores fuerint adversarii, verisimile non est, PAULUM hoc loco attigisse, quae in animo pateretur. Itaque sine scrupulo admittens plerorumque

[1]) Tom. II. p. 542.

[2]) *Observat. ad N. T. e Phil. Alex.* ad h. l.

sententiam, prioris membri verba interpretor: *Quotidie me capitis discrimini obiicio.* Quod gradationem, a CHRYSOSTOMO iam postulatam, afferre patet, quum gravius sit quam praecedens: *pericula subimus.* Verbum autem ἀποθνήσκω ita explicandum est, ut cum Intransitiva notione Transitiva quaedam iungatur [1].

Cum hoc priori membro arcte cohaeret posterius, quod in Editione Recepta sic se habet: νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. Vario modo ab his verbis discedunt exempla veterum, sed duae tantum quaestiones dignae sunt, quae agantur: an Pronomen ὑμετέραν mutandum sit in ἡμετέραν, et an post καύχησιν ex oratione exciderit appellatio ἀδελφοί. Et huius quidem appellationis RÜCKERTUM, MEIIERUM, WETTIUM nullam rationem habuisse, haud secus miror, quam TISCHENDORFIUM sequi noluisse LACHMANNUM, qui locum ei in PAULI oratione dedisset. Primum enim ea antiquissimorum testium, in quibus pleraeque Versiones sunt, fide et auctoritate nititur. Deinde pondus ei et momentum adiicit cogitatio, causas quidem reperiri posse, cur ab antiquo homines, quales librarii essent, hoc vocabulum omiserint, sed cur illud suo ex ingenio scripserint, non item. Tum in PAULI epistolis morem animadvertisse mihi videor lectores, ubi se oratio aliunde ad eos converteret, ἀδελφούς vocandi. Quoniam autem verisimile non est, Apostolum hoc loco morem illum deseruisse, appellatio ἀδελφοί ab eo non

1) Cf. Disputatio BERNHARD. p. 370, recte a MEIIERO, minus recte ab OSIANDRO intellecta. Varios quoque Novi Testamenti locos ut bene explicemus, cum Intransitiva Verbi ἀποθνήσκω notione quaedam Transitiva coniungenda est. Vide *Rom.* V: 6 sqq. VI: 2, 10. XIV: 7 sqq. 2 *Cor.* VI: 9. *Gal.* II: 19. Imprimis comparanda sunt verba IGNATII, *Ep. ad Trallian.* Cap. X apud COT. Tom. II. p. 24: *Τί δὲ εὔχομαι θηριομαχῆσαι; Δωρεὰν οὖν ἀποθνήσκω*, ubi hoc postremum eodem redit atque illud, quod in *Ep. ad Smyrn.* Cap. IV. p. 35 legimus: *Τί δὲ καὶ ἐμαυτὸν ἔκδοτον δέδωκα τῷ θανάτῳ, πρὸς πῦρ, πρὸς μάχαιραν, πρὸς θήρια;*

profecta esse nequit, si genuinum est Pronomen ὑμετέραν. HARWOODUS quidem edidit ἡμετέραν, quod VATABLUS, CALVINUS, SLICHTINGIUS, CRELLIUS iam probaverant, etiam vetus noster Interpres, quamquam Editionis Receptae tenacior. Secutus praeter alios est RÜCKERTUS. Sed si inter se comparantur testimonia antiquitatis, quae alterutrum ὑμετέραν et ἡμετέραν tuentur, multo magis credibile est illud quam hoc genuinum esse. Utrum autem ex Iotacismo exorta sit confusio horum Pronominum, an hominum mala sedulitas mutationem peperit, equidem definire non ausim. Hoc vero explorare nihil attinet, quum satis certum sit, ab Editione Recepta discedi non posse, nisi orationem ineptam facere velimus. RÜCKERTUS Graeca ἡμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ interpretatur *per fiduciam, quam in* CHRISTO *pono*; sed quis non videt, Pronomen ἡμετέραν sic plane redundare? Quis Plurale, quod hoc Pronomine denotatur, hic non alienum habet, quum et praecedat et sequatur Singulare? Quis ferre potest languorem, quem verba ἣν ἔχω in orationem ita constitutam important? Et nescio, quomodo Latinum illud *per fiduciam, quam in* CHRISTO *pono*, vel simile quid ex Graecis eruatur. Summo igitur iure Editionem Receptam tuetur OSIANDER, se a plerisque hoc etiam nomine distinguens, quod PAULO appellationem ἀδελφοί tribuit.

At vero manet quaestio, quomodo Verba τὴν ὑμετέραν καύχησιν explicanda sint. Pronomine et Obiectum denotari potest, et Subiectum. Hoc frequentius fit, illud rarius; nec tamen tam raro, ut vix sine scrupulo admittatur. Ipsi PAULO hunc loquendi usum non incognitum fuisse, docent similia τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, *Rom.* XI: 31. Hoc autem exemplum ad interpretanda verba τὴν ὑμετέραν καύχησιν maioris ponderis est locis, quos KYPKIUS, RÜCKERTUS, MEIERUS, aut scriptores ab iis laudati, ex Graecorum libris attulerunt. Sed quidni

Viris Doctis in mentem venit explorare, an a Pronomine Personali Possessivum notione non differat? Me certe iudice huic Emphasis inest, qua caret illud. Ideo vel Nomini praepositum est, vel ei postpositum cum Articulo. Neque hactenus interest inter locos, in quibus Obiectum et Subiectum orationis ὑμέτερον dicitur. Ergo hoc Pronomen haud secus *Rom.* XI: 31 significanter usurpatum est, ut verba τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει explicarentur *misericordia vestri ipsorum*, quam 2 *Cor.* VIII: 8. *Gal.* VI: 13, ubi, quum PAULUS scriberet τῆς ὑμετέρας ἀγάπης et τῇ ὑμετέρᾳ σαρκί, sibi, nisi fallor, voluit: *vestrae ipsorum caritatis* et *vestra ipsorum carne*. Ita quoque in aliis libris Novi Testamenti, uti *Luc.* VI: 20. XVI: 12. *Ioann.* VII: 6 cet. etiam *Act.* XXVII: 34, ubi vis adhortationis enervari videtur, nisi Graeca πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας interpretamur *ad vestram ipsorum salutem*. Eiusdem numeri Pronomen ἡμέτερος *Rom.* XV: 4 et alibi ceteraque Possessiva esse puto [1]). Iam vero hoc ad dirimendam quaestionem, utrum Apostolus, scribens τὴν ὑμετέραν καύχησιν, Obiectum an Subiectum in mente habuerit, nihil confert, quia verba eius pariter reddere possumus Latinis *vestram ipsorum* et *de vobis ipsis*. Nec tantum valet Interpretum auctoritas, ut missis paucis eorum, qui cum BENGELIO Subiectum denotari censuerunt, sententiae omnibus fere communi, Obiectum intelligendum esse, adstipulari debeamus. Rationibus tamen et argumentis si standum est, nemo prudens hoc illi praeferre gravabitur. Alteri sane et Substantivum obstat καύχησιν Pronomini ὑμετέραν

[1]) His iam diu scriptis discrimen Pronominis Personalis et Possessivi data opera probare conatus sum in disputat. de *Ioann.* XIII: 35, quae exstat in *Maandschrift voor den beschaafden stand.* 1850. p. 125 sqq. verba IESU: ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε interpretans: *vos* MEOS (non aliorum magistrorum) *discipulos esse*, eumque nexum orationi constituens, ut vs. etiam 34 in luce collocatus esse videatur.

adiectum, quod cum affini καύχημα confundendum non est; et tam proximum ἣν ἔχω, quod sequitur, quam remotius ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ; et difficultas utrumque huius versus membrum, si illud probatur, connectendi. Ad quaestionem autem, quis orationis sensus sit, si Obiectum in Pronomine cernitur, alii aliud respondent, pars fluctuantes cum CHRYSOSTOMO, qui scripsit: Διπλῆ ἐναβρύνεσθαί, φησι, καὶ τῷ δι᾽ αὐτοὺς κινδυνεύειν, καὶ τῷ ὁρᾷν αὐτοὺς ἐπιδιδόντας. Longe a vero aberrat PELAGIUS, PAULUM dicentem faciens: *Ego habeo mercedem laborum in vobis, etiamsi vos proficere nolueritis.* Nec rem acu tetigit OECUMENIUS monendo: Ἢ ὄμνυσι λέγων, μὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἢ διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ἀποθνήσκω, quod tamen LUCAM *Brugensem* [1]) probasse video. *Obtestationi* hîc locus est, non *Iuriiurando*, ut iam docuit DRUSIUS. Tum Particulas μά et νή, quae in Novo Testamento ἅπαξ λεγομένη est, ita distinguendas esse, ut illa negantem, haec aientem sententiam sequi significet, post EUSTATHIUM, a WETSTENIO laudatum, ostenderunt Viri Docti, quos MEIIERUS memorat. Nec dubitari potest, quin Praepositionem ἐν, vocabulo Χριστῷ praemissam, male interpretentur CRELLIUS, HEYDENREICHIUS aliique, qui eam Latine *per* vel *propter* reddi iubent. Meliorem huius loci explicandi viam BEZA, SEMLERUS, PALMIUS ingressi sunt. Sed persuasum mihi est, nobis ad verum omnino assequendum necessariam esse observationem Emphaseos, quam supra Pronomini ὑμετέραν vindicare studui. Ad literam igitur Graeca sic interpretor: *testor causam de vobis ipsis gloriandi, quam habeo communione* CHRISTI IESU, *Domini nostri.* Iam nihil alieni verbis admiscere mihi videor his explicandis: *Vos ipsi, quos gloriari possum, me, quum Corinthi essem, quotidie me capitis discri-*

---

1) In *Bibl. Crit.* ad h. l.

mini obiiciendo, ad communionem CHRISTI IESU, *Domini nostri, perduxisse, mihi testes estote.* Sic responsum quoque est ad quaestionem WETTII, quid hîc sibi velit gloriatio de *Corinthiis.* Hac autem in urbe PAULUM talia perpessum esse, ut, ea ante oculos habens, scribere posset *καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω*, satis perspicue docet narratio LUCAE *Act.* XVIII: 6 sqq. Et similiter *Rom.* XV: 17 verba: *ἔχω οὖν* [*τὴν*] *καύχησιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τὰ πρὸς* [*τὸν*] *Θεόν* explicanda videntur: *Gloriandi igitur habeo causam, quod, Deo ministrans, multos ex gentibus ad* CHRISTI IESU, *qua utor, communionem perduxi.*

Vers. 32.

A quotidiana, cui se obiicit, morte Apostolus ad singulare capitis sui discrimen transgreditur scribendo: *Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος;* De verbo *ἐθηριομάχησα* Viri Docti ita inter se discreparunt, ut alii eo *pugnam* significare putarent *cum feris*, alii *pugnam cum ferinis hominibus.* Ante multos annos ego commentationem edidi, ut, refutata utraque sententia, probarem, PAULUM hoc loco ratiocinatum non esse *de certamine,* quod revera *Ephesi* habuisset, sed *quod se Ephesi habuisse cogitando fingeret* [1]. Verba igitur: *Εἰ ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος* interpretatus sum: *Sumamus, me Ephesi depugnasse cum feris, parum hinc in me redundat emolumenti.* Nuperrime autem MEIIERUS hanc interpretationem mirifice perversam vocavit, nullam tamen iudicii huius minus benigni causam afferens in medium [2]. Equidem

---

[1]) *Annot.* p. 202 sqq.

[2]) Aequiorem se iudicem diu ante praestiterat COQUERELUS, *Revue*

vero, quamvis multa, quae olim disputavi, hodie mihi displicent, a me tamen impetrare non potui, ut permutationem meam hac in lite prorsus improbarem. Inter locos, quorum comparatione ad causam meam tuendam usus sum, nonnulli certe sunt satis similes, uti *Matth.* XII: 26. *Ioann.* XV: 22. I *Cor.* IX: 2. Oratio ibi a Particula εἰ incipit ad aliquid cogitando fingendum, quod se ita non habet vel habuit. Eiusdem numeri est, quod IESUS *Ioann.* XVIII: 23 dixit: εἰ κακῶς ἐλάλησα, μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ. Praesertim comparari meretur, quod legimus 1 *Cor.* XII: 19: εἰ δὲ ἦν τὰ πάντα ἓν μέλος, ποῦ τὸ σῶμα; et *Hebr.* VII: 11: εἰ μὲν οὖν τελείωσις διὰ τῆς Λευιτικῆς ἱερωσύνης ἦν, τίς ἔτι χρεία cet. Et in capite, cuius in explicatione nunc versamur, vs. 13, 14, 16, 17, 19, 29, quin etiam vs. 32, huiusmodi forma reperitur Hypothetica [1]). Si autem constat de loquendi usu, nihil amplius esse videtur, quod in disceptationem vocari possit. Quamquam igitur is non sum, qui asseverare ausim, me unum id, quod verum est, assecutum esse, sententiae tamen antea dictae me nondum omnino poenitet. Sed in ea me multo confirmatiorem facit animadversio, gravia illa, quae interpretationi hodie fere communi, *pugnam cum ferinis hominibus* intelligendam esse, antea obstare monui; a recentioribus quoque eius patronis, RÜCKERTO, MEIERO, WETTIO, OSIANDRO quidquid elevaverint, sublata non esse. Et curis identidem repetitis nova se mihi offerebant argumenta in contrariam partem disputandi. Negari enim nequit, verbum θηριομαχεῖν in paucis locis [2]), in quibus figurate sumendum est, hanc notionem

---

Protestant. Tom. I. p. 262 sqq. Plerisque vero mea interpretatio incognita mansisse videtur.

[1]) Cff. HERMAN. *ad* VIG. p. 834. MATTHIAE. p. 1152. WINER. p. 337, 352.

[2]) Imprimis IGNAT. *Ep. ad Rom.* cap. 5. Tom. II. p. 27. *Ep. ad*

accipere a *circumiectis*; in PAULI vero oratione nihil est, quod huiusmodi notionem postulet. Deinde interpretationi figuratae non favet formula κατὰ ἄνθρωπον. Non dubito quidem, quin huic formulae falsa notio affingatur, nisi eam exponamus *more humano* i. e. *ut agere solent homines, ad nihil aliud quam lucrum, gloriam ceteraque huius vitae bona adspirantes;* de quo MEIIERUS, WETTIUS, OSIANDER ipsi mecum consentiunt. Sed, quomodocunque ea accipitur, insolenter praecedit verbum ἐθηριομάχησα, si illo *homines* quoque denotantur. Tum haud scio, an haec interpretatio orationem gravitate magis decrescentem quam accrescentem faciat, si praecedenti vs. 31 sensum suum tribuere mihi contigit. Ad quaestionem autem, quid in vita PAULI tam atrox fuerit, ut nomen pugnae cum ferinis hominibus commissae in illud quadraret, MEIIERUS aliique Viri Docti ancipites haerent, quid respondere debeant. Quod veteres, PELAGIUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS voluerunt, tumultum spectari a DEMETRIO eiusque sodalibus excitatum, sponte sua cadit, si *Act.* XIX: 22 sqq. 1 *Cor.* IV: 17. XVI: 8. 2 *Cor.* I: 8, 9 inter se comparamus. Hinc enim intelligimus, PAULUM in posteriori demum ad Corinthios Epistola hunc tumultum attigisse, et priorem iam scripsisse, priusquam ille oriretur. Nihil aliud igitur in censum venire potest quam certamen *Act.* XIX: 8 sqq. XX: 19 memoratum, quod Iudaei contumacia et malitia sua pepererunt. Sed an tantae atrocitatis indicia habent, quae nobis hoc de certamine tradita sunt, ut θηριομαχία appellari mereatur?

Quod ex civis Romani iure contra interpretes disputatur, qui PAULUM revera cum feris pugnasse putant, meam non labefactat sententiam. Sed interpretibus illis

---

Tars. cap. 1. ibid. p. 100. Cf. *Ep. ad Smyrn.* cap. 4. p. 35, ubi legimus: προφυλάσσω ὑμᾶς ἀπὸ τῶν θηρίων τῶν ἀνθρωπομόρφων.

multae aliae obstant difficultates. Nec tamen earum commemoratio requiritur, quoniam hodie inter Viros Doctos nemo est, qui partes illas sequatur. Superest, ut nonnihil dicam de verbis ἐν Ἐφέσῳ, de quibus leviora quaedam me antea coniicere memini. Haec autem conveniunt urbi, quae pugnae hominum cum feris haud raro praebuit spectaculum. Sed si, uti spero, praecedentia vs. 31 bene intellexi, hîc quidem eorum desiderium relinqui non potuit. Nam a memorato quotidiano mortis periculo, cuius ipsi huius Epistolae lectores testes fuerant *Corinthi*, perspicue distinguendum erat singulare capitis discrimen, in quod *Ephesi* inciderat, vel quod se *Ephesi* subiisse cogitando fingebat.

Sequentia: εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται Editio Recepta connectit cum membro priori. Ita PELAGIUS, THEODORETUS, OECUMENIUS, alii, quos nostra memoria etiam secuti sunt BOSVELDIUS et PALMIUS. Nonnulli, an easdem in partes eundum esset, dubitarunt, ut RÜCKERTUS. Sed recte iam CHRYSOSTOMUS cum THEOPHYLACTO, CALVINO, CRELLIO et recentiorum Interpretum plerisque haec verba refert ad membrum posterius: φάγωμεν καὶ πίωμεν— αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν, quemadmodum GRIESBACHIUS aliique editores fecerunt. Et primum quidem verisimilius est, utramque huius versus partem sententia[illegible] Hypotheticam continere, quam auctorem in priori d[illegible] sumere, in posteriori nihil. Deinde structura, quam ve[illegible] sui 29 tribuendam esse vidimus, evidenter docet, [illegible] distinctione recepta hîc recedendum esse. Tum formu[illegible] κατὰ ἄνθρωπον, si bene explicatur, reapse eodem [illegible]dit ac verba εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται atque idcirco [illegible] his separari debet. Denique nisi verba illa faciunt P[illegible]tasin, cui respondeat Apodosis φάγωμεν cet. prover[illegible]b illo series argumentandi interrumpitur. Horum vero [illegible]ple raque et alia insuper notavit MEIIERUS. Iam oratione sic constituta, Apostoli mens est: *Sumamus, nullos esse m[illegible]or-*

tuos, qui in vitam revocentur, tum edendo et bibendo indulgendum est genio: instat enim mors, et nihil aliud nobis superest. Vocabulum enim *αὔριον* una cum Praesenti *ἀποθνήσκομεν* tempus instans significat. Praecedentia autem *φάγωμεν* et *πίωμεν* non *vitae frugali et sobriae, sed vitae aerumnis et periculis plenae* opponi, sequitur ex nexu posterioris membri cum priori. Quod si tenemus, plane evanescunt difficultates, quas RÜCKERTUS auctoris ratiocinationi obiecit. Nec PAULUS lectoribus, quorum fidem contra nonnullorum impetus corroborare volebat, aliud quid proposuit, quam quod ipsi aversabantur. An proverbium hîc exstet *Laconicum*, ut VALLA, ERASMUS, SCALIGER monuerunt, mihi quidem non perspectum est. Multa similia attulerunt GROTIUS, WETSTENIUS, GERDESIUS aliique. Sed nusquam haec ipsa verba leguntur, nisi apud *Ies.* XXII: 13, unde Apostolus ea mutuatus est. Apostoli orationem ante oculos habuit ATHENAGORAS scribens [1]): *Δόγμα δὲ κοινὸν τούτων ἁπάντων καὶ νόμος εἷς τὸ τοῖς ἀκολάστοις καὶ λάγνοις φίλον· φάγωμεν δὲ* (*τε*) *καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν*, ubi tamen intemperantem et lascivam vitam frugali et sobriae opposuit.

Vers. 33.

Nunc orationem PAULUS ad lectores suos convertit scribendo: *Μὴ πλανᾶσθε· φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ'* (*χρηστὰ*) *ὁμιλίαι κακαί.* Sic Proverbio, quod etiam vidit BOSVELDIUS, Proverbium, ut alteri vim altero auferat, opponit. Apostolus enim hunc Versum Iambicum ex vita communi mutuatus esse videtur ipsius ignarus

---

1) *De Resurr. Mort.* Cap. 19. p. 332 MAR.

auctoris, MENANDRI [1]), qui eum, si VALCKENARIO fides est, EURIPIDI debuit. Quod HIERONYMUS narrat [2]), PAULUM hunc versum ex MENANDRI comoedia sumsisse, haud scio, a quonam acceperit. Aliter OECUMENIUS, quocum, praeter BOSVELDIUM, SCALIGER, aliique consentiunt, hanc sententiam *Λακωνικὴν καὶ ἀρχαίαν παροιμίαν* appellans. Neque in contrariam partem afferri possunt verba TERTULLIANI: *memor illius versiculi sanctificati per Apostolum* [3]), quippe quae auctorem non memorant. Apostolus certe, si Poëtae libro tanquam fonte utebatur, scribere non potuit *χρηστὰ*, quod legi iusserunt GRIESBACHIUS, MATTHAEUS, VATERUS, GOESCHENIUS, SCHOLZIUS, TISCHENDORFIUS, et nuper probarunt MEIERUS, WETTIUS, OSIANDER, quemadmodum veterum testimoniis commendatur. Sed Monachorum, qui exempla describebant, fortasse vel ignorantia vel superstitio, versum hominis profani Apostolo indignum habens, multos in codices, etiam in Patrum opera, *χρηστὰ* pro *χρῆσθ'* importavit. Atque ita sentire videntur LACHMANNUS et OLSHAUSENIUS, Editioni Receptae patrocinantes [4]).

Proverbii quod attinet sensum, Adiectivum *χρῆσθ'* vel *χρηστὰ*, quum ei oppositum sit *κακαί*, cum THEOPHYLACTO aliisque explicandum non est *εὐεξαπάτητα*. Haud dubie *boni* significantur *mores*, id est, *bonitate sua suaves et cuilibet se commendantes*, ut omnes hodie sumunt Interpretes observato loquendi usu. Vocabulum *ὁμιλίαι* Vulgatus Latinus interpretatur *colloquia*. Vulga-

---

[1]) Vide MENANDRI *Fragment.* p. 75 Ed. MEINECKE.

[2]) *Ep. ad Gal.* Cap. 4. Opp. T. IV. P. 1. p. 280 MART.

[3]) *Ad uxorem* Lib. I. Cap. 7.

[4]) Scriptioni depravatae favet *Homil. Clem.* IV. Cap. 24, ubi SCHWEGLERUS etiam edidit: *φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί*, quod ab auctore profectum esse intelligimus ex sequentibus: *οὐκοῦν ἐπανορθοῦσιν ἤθη ἄχρηστα ὁμιλίαι καλαί.* Atque idem *χρηστὰ* editum est a COTELERO in *Epit. de gestis Petri.* Cap. 53.

tum cum aliis secutus est ERASMUS, carmen, ut ait, carmine reddens:

Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

Sed plerique tamen scribere malunt *commercia*, vel *consuetudines*, quod probare conati sunt BEZA, DRUSIUS, GERDESIUS, ALBERTUS, et quod RÜCKERTO, MEIJERO, WETTIO aliisque placuit recentioris memoriae. Et sane hanc vocabuli ὁμιλίαι notionem esse vulgarem, exempla docent in STEPHANI *Thesauro* congesta, ubi huius etiam loci ratio habetur. Quod tamen non impedit, quominus, per Metonymiam, intelligere possimus illud, quod in vitae quotidianae consuetudine primum et praecipuum est, *consuetudo*, nempe, *sermonis*, seu *colloquium*, ut ex eodem *Thesauro* et aliunde [1]) apparet. Quare HESYCHIUS verbum ὁμιλεῖν interpretatur λαλεῖν, quod denotatur etiam *Luc.* XXIV: 14, 15 al. Atque hanc notionem Veteres Christiani ante oculos habuerunt, quum, auctore PHOTIO [2]), orationes suas, quippe colloquium familiare imitantes, ὁμιλίας appellare malebant, quam λόγους.

Ergo in vocabulum ὁμιλίαι haud secus *colloquiorum*, quam *consuetudinum* quadrat notio. Utra utri praeferenda sit, nunc efficere conemur. Verbum πλανᾶσθε alii cum OSIANDRO Medium esse dicunt, alii cum RÜCKERTO Passivum, quod sibi iam voluit PELAGIUS, mentem PAULO tribuens: *Nolite seduci ab his, qui talia loquuntur.* Loquendi autem usus, in Novo Testamento regnans, illi interpretationi favet, huic vero non item. Formula, nempe, μὴ πλανᾶσθε in ceteris, ubi exstat, locis, 1 *Cor.* VI: 9. *Gal.* VI: 7. *Iac.* I: 16, ut ex prae-

---

[1]) Cf. MOERIS *Attic.* p. 276 sqq. PIERS. Huc quoque pertinent verba ANTISTHENIS apud STOBAEUM *Ecl.* Tom. I. p. 17 GAISF. Οὔτε συμπόσιον χωρὶς ὁμιλίας, οὔτε πλοῦτος χωρὶς ἀρετῆς ἡδονὴν ἔχει. Exempla Veteris Testamenti vide *Prov.* VII: 21. *Sap. Salom.* VIII: 18.

[2]) *Bibl.* Cod. CLXXII. Tom. I. p. 188 BEKK.

cedentibus luculenter apparet, reddenda est: *ne decipite vosmet ipsi*. Iam loci illi ostendunt quoque, *dictum esse* debere omnibus *clarum et testatum*, quod praecedat formula: *ne decipite vos ipsi* [1]). Intelligi autem potest, vel *sic agendo*, vel *sic loquendo*. Qui intelligere vult *sic agendo*, hoc explicare debet *edendo et bibendo*. Atqui non video, quomodo hanc explicationem ferat nexus utriusque huius versus membri. Bene vero alterum cohaeret cum altero, si hoc admonitionem continet: *ne vos decipite ipsi sic loquendo*. Hinc autem sequitur, vocabulo ὁμιλίαι non *consuetudines*, sed *colloquia* denotari. Atque ita PAULUS sectatores CHRISTI Corinthios, quos contra vanos nonnullorum clamores instruere conabatur, generatim monuit, ne fraudem sibi facerent habendis colloquiis, qualia ipsi bonos mores corrumpere novissent. Similiter se alibi formula *μὴ πλανᾶσθε* ad lectores suos generatim convertit, ut ab aliorum vitiis absterrerentur. Ceterum exempla locorum, qui eodem atque hoc Proverbium redeunt, ex veterum scriptis affatim contulerunt GROTIUS, WETSTENIUS, ALBERTUS.

Vers. 34.

Iam Apostolus lectoribus suis hanc alteram dat admonitionem alteri respondentem: *Ἐκνήψατε δικαίως*,

---

[1]) Hanc formulam ubique id sequitur, quod vulgo tritum est, vel quod res loquitur ipsa. Similiter in gravissima admonitione PHILEMONIS, apud IUST. *Mart.* de *Monarchia Dei* Cap. 3. Verba, descriptu digna, apud OTTONEM Tom. II. Ed. Sec. p. 134 haec sunt:

Ἔστιν Δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ.
Εἰ γὰρ δίκαιος κἀσεβὴς ἕξουσιν ἕν,
Ἅρπαζ᾽ ἀπελθὼν, κλέπτ᾽, ἀποστέρει, κύκα.
Μηδὲν πλανηθῇς· ἔστι κἀν ᾅδου κρίσις.

καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Verbum *ἐκνήφω* proprie de hominibus dici, *qui ex ebrietate ad se redeunt*, cognitum est ex Lexicis. Sic Interpres Al. illud quoque usurpavit *Gen.* IX: 24. 1 *Sam.* XXV: 27. *Ioël.* I: 5. Alibi, nulla amplius vinolentiae ratione habita, uti *Hab.* II: 19, significat tantum *evigilare*. Hactenus haud male ESTIUS Imperativum *ἐκνήψατε* reddi posse monet *evigilate* et *sobrii estote*. Sed si attendimus superiora *φάγωμεν καὶ πίωμεν*, quae hoc verbum auctoris in memoriam revocarunt, apparet, eum lectores suos comparasse cum hominibus, qui ex ebrietatis torpore excitantur. Indicio quoque est Adverbium *δικαίως*, quod quam vario modo acceptum sit, ostendit GERDESIUS. CHRYSOSTOMUS interpretatus est *ἐπὶ συμφέροντι καὶ χρησίμῳ*, similiter OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS. Sed ut sic interpretando aliena huic vocabulo notio affingitur, ita et vim eius amplificant, et sequentibus frigus iniiciunt, qui cum BEZA scribunt: *ut iustitiae vacetis*, vel cum GROTIO: *in posterum iuste victuri*. Scribere sine dubio praestat *uti par est*, vel *ut oportet*, quod nuper MEIIERO, WETTIO, OSIANDRO, et iam ERASMO aliisque antiquioris memoriae placuit. Sed ne sic quidem habemus, quod orationem omnino explicet. Nimirum Verbum *ἐκνήφω* quum proprie *homines* spectet *vitae dissolutae*, PAULUS, ne haec notio, sectatore CHRISTI indigna, ei tribueretur, adiecit *δικαίως*, atque ita, illud figurate ad *mentem* referens, non *evigilandum* esse docuit, quemadmodum solent ebriosi, sed *quemadmodum oportet coram Deo, proborum more*. Similiter hoc Adverbio usus est 1 *Thess.* II: 10. *Tit.* II: 12. Iam alterum praeceptum *καὶ μὴ ἁμαρτάνετε*, quod hanc interpretationem commendat, non respicit ad sequentia *ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι*, ut contendit SEMLERUS, neque adeo a praecedentibus *ἐκνήψατε δικαίως* pendet, ut cum BENGELIO, BOSVELDIO, GURLITTO explicandum sit: *ut non*

peccetis, sed sibi constat, hunc habens sensum: et (*in Deum*) *peccare nolite*, pro quo, quum PALAIRETUS, RAPHELIUS aliique substituere volebant *ne a via aberretis* vel simile quid, loquendi usum, in PAULI Epistolis reperiundum, neglexerunt. Quod uti animadverterunt etiam MEIIERUS et OSIANDER, sic cum WETTIO recte secuti sunt WINERUM monentem [1]), Aoristum ἐκνήψατε cum Praesenti ἁμαρτάνετε coniunctum esse, ut altero denotaretur, quod *semel* vel *illico*, altero, quod *perpetuo* curandum esset. At hinc nondum apparet, quomodo hae duae admonitiones reapse inter se conveniant. CHRYSOSTOMUS adscripsit: ὅτι βίος διεφθαρμένος πονηρὰ τίκτει δόγματα, similiter OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, alii. Equidem vero, ut interpretatio ad Apostoli mentem accommodata sit, verba sic convertenda puto: ὅτι πονηρὰ δόγματα βίον τίκτει διεφθαρμένον. Posterius enim καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, nisi fallor, referendum est ad ea, quae, secundum Proverbium, *corrumpuntur*, ἤθη χρῆσθ' vel χρηστά, ad *corrumpentia*, quae ὁμιλίαι sunt κακαί, prius ἐκνήψατε δικαίως. Ergo coniuncta, si ad literam reddenda sunt: *evigilate proborum more, et ne peccate*, haec sic explicanda videntur: *Ad mentem revertimini alienam a colloquiis pravis, quae parit commentum, mortuos in vitam non redire, vobisque cavete, ne a moribus probis declinando leges Divinas violetis.*

Quid sibi velint subiecta: ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι, haud difficile dictu est. Formulam ἀγνωσίαν Θεοῦ ἔχειν RÜCKERTUS, MEBIUS, HASIUS et vulgo Interpretes idem plane denotare volunt ac magis usitatam Θεὸν οὐ γνῶναι. Prudenter vero OLSHAUSENIUS hanc omnino negantem, illam aientem multoque efficaciorem esse notavit. Quod viderunt etiam BOSVELDIUS aliique.

---

[1]) P. 363 coll. 367.

Vocabulum ἀγνωσία, quod satis frequenter in libris Veterum legitur, reddere malo Latino *inscientia*, quam *ignorantia*. Eodem modo, si minus 3 *Macc*. V: 27. 1 *Pet*. II: 15, certe *Sap*. *Sal*. XIII: 1, ubi legimus de hominibus natura vanis: οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία. Itaque Graeca: ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι interpretor: *inscientiam enim Dei quidam habent*. Quod si explicatur: *sunt enim quidam, qui nesciant, qualis quantusque virtute Deus sit*, eodem fere redit admonitio PAULI ac dictum IESU *Matth*. XXII: 29. Et hactenus recte iam THEODORETUS, quocum consentiunt PELAGIUS, THEOPHYLACTUS et plerique Interpretes, etiam recentiores: Θεοῦ ἄγνοιαν τῆς ἀναστάσεως τὴν ἀπιστίαν ἐκάλεσε. Qui interpretantur: *nullam Dei habent reverentiam* vel similiter, quod PALMIO etiam placuit, Metonymiam in orationem inde alienam important eiusque nexum turbant. Pronomen quod attinet τινές, BILLROTHO et OLSHAUSENIO, qui eo *alios homines* quam vs. 12 significari contenderunt, iure meritoque MEIJERUS se opposuit. Si PAULUS ante oculos habuisset adversarios CHRISTI, contra doctrinam immortalitatis repugnantes, non usus esset vocabulo, quod paucitatem denotat. In socios vero aliquot sectatorum CHRISTI, qui mortuorum reditum in vitam negabant vel in dubium vocabant, optime quadrabat illud: *inscientiam Dei habent*. Tum sequentia πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω vel λαλῶ satis luculenter docent, praecedere orationem ad ipsos lectores huius Epistolae pertinentem. Nec tamen Apostolus, reprehensionis suae emolliendae causa, ita scripsit pro ὅτι ἀγνωσίαν ἔχετε, ut cum OECUMENIO, THEOPHYLACTO aliisque interpretatus est CHRYSOSTOMUS. Immo ἀγνωσίαν Θεοῦ nonnullis tantum Corinthiorum obiecit, ut ceteri meliora docerentur. Si mentem eius assecutus sum, nexus orationis hic est: *Cavete vobis a commento, mortuos in vitam non redire, quod ad colloquia ducit mores bonos corrum-*

pentia vobisque ipsis odiosa. Commentum enim illud inde oritur, quod inscientiam Dei habent.

Restat quaestio, cur PAULUS, si quosdam tantum lectorum suorum ante oculos habebat, adiicere potuerit: πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, vel, ut fortasse cum TISCHENDORFIO corrigendum est, λαλῶ. Sed Dativum ὑμῖν Viri Docti distinguere neglexerunt a Genitivo ὑμῶν, non animadvertentes, alibi, uti *Iob.* XX: 3. *Psalm.* XLIII: 15. LXVIII: 19, Genitivum personae, ad quam ἡ ἐντροπή pertineat, hoc vocabulum sequi. Ergo huius loci non est multorum annotatio, quam MEIIERUS et OSIANDER etiam repetierunt, sectatorum quorundam CHRISTI maculam toti societati Corinthiae ignominiae fuisse. Nec video causam, cur perpetuus ab oratione amoveatur, progressus verbis πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω vel λαλῶ ad remotiora ἐκνήψατε δικαίως καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, non vero ad proxima ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι referendis. Nihil sane aptius videtur, quam Apostolo hanc mentem tribuere: *Ad illos, qui hac inscientia se abripi patiuntur, pudore afficiendos hoc vobis dico.* Sic eadem formula Cap. VI: 5 non inservit ad confundendos omnes sectatores CHRISTI Corinthios, sed homines tantum, qui lites privatas ad tribunalia civitatis deferebant. Quod BENGELIUS monuit, neque OSIANDER improbavit, Pronomini ὑμῖν Dativum inesse commodi, persuadebitur nemini, qui comparaverit *Rom.* III: 19. 1 *Cor.* III: 1. VII: 8, 12. XV: 51 ceterosque locos Epistolarum PAULI, in quibus Dativus verba λέγω et λαλῶ praecedit vel sequitur. Si autem Graeca πρὸς ἐντροπήν Latine reddimus *ad eos pudore afficiendos*, hoc reapse non differt, ut HEYDENREICHIUS ait, ab interpretatione *ad eos corrigendos.* Hactenus recte CHRYSOSTOMUS: ὥστε διορθῶσαι, ὥστε ἐπαναγαγεῖν, ὥστε αἰσχυνθέντας ὑμᾶς γενέσθαι βελτίους.

Vers. 35.

Disputationem, qua reditum mortuorum in vitam probaret, PAULUS sic instituerat, ut desineret in verba, quibus *Corinthiorum* nonnulli, sectatoribus CHRISTI adscripti, et hanc tamen doctrinam negantes vel in dubium vocantes, pudore afficerentur. Nunc contradicendi argumentum illis auferre volens id, quod cavillatores vulgo opponebant, sic occupavit: *Ἀλλ' ἐρεῖ τις· Πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; Ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται;* Quae quidem, praeter verbum *ἔρχονται*, nihil fere habent, quod interpretatione indigeat. Hoc autem Verbum plerique, etiam HEYDENREICHIUS, RÜCKERTUS, OSIANDER, explicantes *egrediuntur e sepulcris*, opinioni suae serviunt, refragante loquendi usu. Si enim Simplex *ἔρχεσθαι* nusquam potestatem habet Compositi *ἐξέρχεσθαι* [1]), multo minus substitutum est pro *ἐξέρχεσθαι ἐκ τῶν μνημείων*, quod *Matth.* XXVII: 53 et alibi legimus. Neque hanc interpretationem commendat praecedens *ἐγείρονται*. In locis enim, ubi Verbum *ἐγείρεσθαι* de revocatione mortuorum in vitam usurpetur, intelligi non posse formulam *ἐκ τῶν μνημείων*, luculenter apparet ex *Matth.* IX: 25. *Marc.* V: 41. XII: 26. *Luc.* VII: 14, 22. VIII: 54. XX: 37. Immo, ubi formula quaedam intelligi debet, nulla alia admittitur, quam quae in libris Novi Testamenti trita et supra etiam vs. 12 et 20 Verbo *ἐγείρεσθαι* adiecta est, *ἐκ νεκρῶν*, pro qua apud MATTHAEUM semel iterumque exstat *ἀπὸ τῶν νεκρῶν* [2]). Ergo cum MEIIERO et WETTIO SEMLERUM, qui frequen-

---

[1]) Quod non impedit, quominus concedam, Simplex *ἔρχεσθαι* satis crebro ita explicari posse, ut conveniat Composito *ἐξέρχεσθαι*. Exemplo sit HERODOT. Lib. I. Cap. 120: *Καὶ τά γε τῶν ὀνειράτων ἐχόμενα τελέως ἐς ἀσθενὲς ἔρχεται*, ubi legatur BAEHR.

[2]) Hoc tanquam digito monstrat LUC. *Act.* XIII: 29, 30, ubi legi-

tatum *ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον* comparari iussit, ducem sequamur et interpretemur Verbum *ἔρχονται* *prodeunt in lucem*, quemadmodum illud exponendum est. *Matth.* XI: 3, 14. XVII: 11. XVIII: 7. *Luc.* XVII: 1. *Ioann.* IV: 25 al. Ad plerosque autem horum locorum pertinet regula, Praesens haud raro inservire ad id significandum, quod ex decreto quodam vel norma constituta certo futurum est. Ita PAULUM hîc quoque Praesenti *ἔρχονται* usum esse, SLICHTINGIUS, CRELLIUS, alii antiquiores iam viderunt, quos MEIERUS, WETTIUS, OSIANDER secuti sunt. Hi vero minus intellexerunt mentem WINERI, quippe qui huc quidem retulit posterius *ἔρχονται*, prius vero *ἐγείρονται* inde explicuit, quod Apostolus eo non *factum* temporis futuri, sed *doctrinam* reditus mortuorum in vitam proponit [1]). Utique valde dubito, an in posteriori membro legeremus *ἔρχονται*, nisi auctor in priori illud *ἐγείρονται*, quo vs. 15, 16, 29, 32 usus erat, repetiisset, ut eo idem denotaret ac vs. 12, 13 formula *ἀνάστασις νεκρῶν ἔστι*.

De Verborum notionibus plura disputare nihil attinet. Nec probare opus est, quod reapse nemo negabit, duo esse, de quibus vs. 35 quaestio moveatur. Examinari tantum debet, quomodo alterum differat ab altero. CHRYSOSTOMO iudice PAULUS *τίθησι δύο τὰς ἐπαπορήσεις· τοῦ τρόπου τῆς ἀναστάσεως, καὶ τῆς ποιότητος τῶν σωμάτων*. Interpretationem autem versus 37 aggressus scripsit ille: *Τὰ μὲν ἔμπροσθεν εἰρημένα, πρὸς τὸ λέγειν πῶς ἐγείρονται· τοῦτο δὲ, πρὸς τὸ διαπορεῖν ποίῳ σώματι ἔρχονται.* Secuti sunt THEODORETUS, THEOPHYLACTUS, aliique antiquioris et recentioris aetatis, etiam GERDESIUS, HASIUS, MEBIUS, OSIAN-

---

mus: *ἔθηκαν (αὐτὸν) εἰς μνημεῖον· ὁ δὲ Θεὸς ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.* Ita quoque in CLEM. *Hom.* I Cap. 6 apud COTEL. Tom. I. p. 622 de miraculis IESU: *νεκροὶ δὲ προσφερόμενοι ἐγείρονται*

[1]) P. 307 coll. 308.

DERU, vs. 36 ad priorem, vs. 37 sqq. ad posteriorem quaestionem responderi contendentes. Sed versus 36 et 37 arctius inter se cohaerent, quam ut argumenta eorum sic distingui possint. Nec vs. 39 ullum exstat indicium transgressionis ab altero argumento ad alterum, quam ibi reperiri putarunt CRELLIUS, BOSVELDIUS aliique, etiam WETTIUS. Utramque sententiam falsam esse, infra, uti spero, magis elucebit. Opiniones nunc mitto BENGELII, FLATTI similesque a vero longius remotas. Scite, nisi fallor, MEIERUS prius πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί posteriori ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται accuratius definiri monet ad nexum provocans, quem constituit interiecta Particula δὲ, pro qua quonam iure HEYDENREICHIUS scripserit ἢ, equidem ignoro. Eodem quodammodo tendunt, quae in medium attulerunt WOLFIUS, SEMLERUS, MORUS [1]), KRAUSIUS, item PALMIUS, duo illa, quae hic memorantur, reapse idem esse aiens. Ad huiusmodi interpretandi viam ineundam commovebimur etiam animadvertendo, quod CALVINUM quoque non fugit, a PAULO non quaestiones docendi causa, sed contradictiones refellendi causa propositas esse. Utraque autem mortuorum reditus in vitam hoc nomine spernitur, quod *absurdus* est. Similiter Adverbium πῶς *Rom.* VI: 2. 1 *Cor.* XIV: 9. XV: 12 et Adiectivum ποῖος saepissime, uti *Luc.* VI: 32, 33, 34. *Act.* VII: 49. 1 *Pet.* II: 20, usurpatur. Verumtamen Viros Doctos, quum argumentum disputationis vs. 36 sqq. minus intelligerent, Apostoli quoque mentem vs. 35 minus assecutos esse puto [2]). Nimirum vs. 36 sqq. PAULUS non id probatum agit, *homines ex sepulchro*, ubi conditi sint, *in vitam revoca-*

---

[1]) *Dissert. Theol. et Philol.* Vol. I. p. 154 sqq. Ed. alt.

[2]) Alienam vim BAURUS Apostoli verbis affinxit l. c. p. 605 sqq. contendendo, hac in oratione excelsioris vitae proponi formam, quae toto vitae organicae nitatur nexu, eoque adspectabili in natura et homine.

tum iri, quod Traditio Exegetica, ab antiquo ad nostram aetatem propagata, eius orationi affinxit; sed *Christi sectatoribus corpus illud, quod habeant hac in terra, non obstare, quominus immortalitati destinati atque ideo in vitam redituri sint.* Hoc ad efficiendum vs. 36—41 tribus utitur similibus, non ad scholae diligentiam, sed populariter propositis, semina monens a frumentis et haec a se invicem, carnes a carnibus, corpora coelestia a terrestribus atque illa etiam a se invicem differre. Triplex autem simile vs. 42—45 ad susceptam causam transferens ostendere conatur, quantum inter *hominem* intersit, *qui ad hanc vitam procreatur*, et *hominem, qui ad alteram vitam suscitabitur*. Tum vs. 46. sqq. totus est in comparando altero homine cum ADAMO, altero cum CHRISTO, tantum abesse docens, ut conditio, in qua sectatores CHRISTI hic versentur, immortalitatis doctrinam evertat, ut eam contra confirmet. Iam vero si hoc argumentum disputationis PAULI est, ad contradictiones vs. 35 bene intelligendas aliam viam ingredi debemus, quam Interpretes adhuc ingressi sunt. Et prima quidem: *πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί* i. e. *Quomodo suscitantur mortui?* generatim sibi vult: *Fieri prorsus nequit, ut sectatores* CHRISTI *in vitam redeant.* Posterior: *ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται* i. e. *Quale vero corpus mortuis ad prodeundum in lucem destinatum est?* quae priorem fere absorbet, ex conditione corporis, quod hac in terra habemus, petita et sic explicanda est: *Fieri prorsus nequit, ut nobis cogitando fingamus corpus, quo sectatoribus* CHRISTI *in lucem prodire destinatum sit.*

Vers. 36, 37.

Primum Simile PAULUS sic proponere incipit: *Ἄφρον*,

σὺ, ὃ σπείρεις, οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ. Quibus verbis non quaestionem docendi causa, sed contradictionem refellendi causa tangi, ex vocabulo ἄφρον, quod stomachantis est, satis intelligitur. LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS pro Vocativo substituerunt Nominativum ἄφρων, quem RÜCKERTUS, OLSHAUSENIUS, MEIERUS, OSIANDER diserte probarunt. Et huic sane mutationi Codices favent boni et antiqui. Sed tantam eorum non esse puto auctoritatem, ut magis quam ceteri sequendi sint, sine Versionum et Patrum consensu. Pariter se hoc loco ac *Luc.* XII: 20 per exempla propagasse videtur vitium, a librariis commissum, quibus vel oculi, vel aures fraudem fecerant. Quod enim OLSHAUSENIUS perhibet, Nominativum huius loci esse, Vocativum non item, minus recta illa totius disputationis PAULI nititur interpretatione, quam supra iam notavi. Mihi quidem persuasissimum est, Nominativum hîc stare non posse, nec despero fore, ut aequis iudicibus de eo persuadeam. Si legimus ἄφρων, hoc vocabulum vel cum sequentibus cohaeret, vel sibi constat. Atqui cum sequentibus cohaerere nequit, nisi hanc facere velimus structuram: Ὃ σὺ ἄφρων σπείρεις i. e. *Quod tu, qui insipiens es, seris,* quae orationi, et Traiectionem insolentem obtrudit, et id adimit, quo auctor transitum suum ad hominis cuiusdam compellationem indicare debuit. Multo minus sibi constat, si quid valet loquendi usus. Haud quidem ignoro Grammaticorum regulam, Nominativum in scriptis Veterum non raro pro Vocativo usurpari. Sed excepto uno alteroque loco, in quo Nomen proprium legitur indeclinabile, quemadmodum Ἰωσήφ *Matth.* I: 20, *ubique,* quantum scio, tam in Novo Testamento quam in aliis libris, *Nominativum,* quo quis compellatur, *Articulus praecedit* [1]). Ibi

---

1) Sic *Marc.* IX: 25: τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφόν. *Luc.* VIII:

autem utrum revera casuum permutatio se offerat, an se tantum offerre videatur, examinare nunc nihil attinet. Satis, nisi fallor, probavi, PAULUM, salvo loquendi usu, insipientem affari non potuisse Nominativo ἄφρων, sed, nisi Nomini praeponeret Articulum ὁ, scribere debuisse in Vocativo ἄφρον. Sic simul cadit MEIIERI sententia, ab OSIANDRO improbata, a WETTIO non item, vocabula ἄφρων σύ, Commate iis subiecto, arcte coniungenda esse, quod nonnullis quoque, qui Vocativum ἄφρον retinebant, uti KNATCHBULLO et SEMLERO, iam placuerat. Praeterea vero Pronominis Vocativo subiuncti exempla, nisi fallor, frustra quaerentur. Cff. *Luc.* XI: 40. XII: 20. Quae quum ita sint, sine scrupulo in oratione PAULI constituenda Editionem sequor Receptam eiusque verba sic interpretor: *Insipiens, tu quod seris, non in vitam revocatur, nisi mortem subierit.*

Apostolum Verbis ἀποθάνῃ et ζωοποιεῖται ad *seminis dissolutionem frugumque germinationem* denotandas propterea usum esse, quod *hominem morientem et in vitam rediturum* ante oculos haberet, iam veteres monuerunt, provocantes ad dictum IESU *Ioann.* XII: 24. Quantum talia rerum Physicarum, qua aetas illa vulgo laboravit, imperitiae tribuenda sint, quaestio est hinc aliena. Pronomini autem σὺ alii cum SLICHTINGIO, quo iudice hanc vim habet: *tu ipse, ne longe exempla petamus,* Emphasin inesse putant, alii Antithesin, ut *homo* opponatur *Deo*, quod nuper etiam OSIANDRO placuisse videtur. Ita iam CHRYSOSTOMUS, quamvis utrumque primo adspectu confundens, ubi ait: Σφόδρα ἐμφατικῶς εἶπε, σὺ ὁ σπείρεις, σὺ ὁ θνητὸς καὶ ἀπολλύμενος. Similiter OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, ERA-

54: ἡ παῖς. *Ioann.* VIII: 10: ἡ γυνή. Plura dabunt GLASSIUS Tom. I. p. 70 et WINERUS p. 209. Exempla ex scriptis Graecorum congessit BERNHARD. p. 67. Imprimis conferri meretur *Matth.* XI: 25, 26, ubi πάτερ et ὁ πατήρ inter se permutantur.

SMUS. Et nemo sane dubitasset, quin hoc illi omnino praeferendum esset, si Viri Docti animadvertissent, versibus 36, 37 et 38 unam tantum contineri sententiam, cuius Protasis exstat vss. 36 et 37, non Puncto, sed Colo distinguendis, Apodosis vs. 38. Hoc vero propterea non animadverterunt, quod de *hominibus in sepulcro conditis* quaestionem agi opinabantur, eandem interpretandi viam ingressi ac THEODORETUS, qui Apostolum dicentem facit: *Βλέπε τὰς αὔλακας μιμουμένας τοὺς τάφους, καὶ τὰ σπέρματα θαπτόμενα ὡς τὰ σώματα.* Atqui non scripsit ille: *ἐὰν μὴ ταφῇ*, sed, sine ulla *sepulturae* cogitatione, *ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ*. Ergo contradictionem propositam refellere incipiens, auctori eius insipientiam suam exprobrat, quia non intelligit id, quod in rerum natura ante oculos collocatur, quum ex semine terrae mandato fruges non oriantur, nisi antea dissolutionem subierit. Huius autem seminis CHRISTI sectatores similes esse vult, quippe qui mori debeant, ut vitae melioris participes fieri possint. Rabbinorum loci, a WETSTENIO allati, in quibus corpora in vitam reditura cum semine comparantur, haud multum iuvant ad PAULI orationem illustrandam.

Sententiae suae Protasin auctor nunc sic absolvit: *Καὶ ὃ σπείρεις, οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον σπείρεις, ἀλλὰ γυμνὸν κόκκον, εἰ τύχοι, σίτου, ἤ τινος τῶν λοιπῶν.* Impedimentum, in principio orationis ante pedes positum, plerique Interpretes, ac si nullum esset, transilierunt. Quod reprehendens WETTIUS omnia via et ratione procedere monuit, dummodo unum ὃ in duo *εἴ τι*, vel posterius *σπείρεις* in *ἐστὶν* mutetur. Difficultas quoque tolleretur, si deleremus Recepta *ὃ σπείρεις*. Sed quis, in pleno librorum consensu, asseverare ausit, hunc locum depravatum esse? Sententia OSIANDRI, quem FLATTUS praecessit, Pronomen explicandum esse formula Latina *quod attinet*, si forte ali-

unde probari potest, ex libris certe Novi Testamenti non item [1]). Accedit, quod verba ὃ σπείρεις eodem modo vs. 37 ac vs. 36 accipienda sunt. Nihil aliud igitur superest, quam hunc locum referre ad exempla orationis hiantis [2]), quorum numerum Apostolus nunc auxisse videtur, quod animo ad illa ὃ σπείρεις, efficacitatis ergo ceteris praemissa, attendendo structurae factus erat negligentior. Formula εἰ τύχοι, si eam cum CALVINO, VATABLO aliisque vertendo reddimus *exempli gratia*, circumiectis quidem accommodata est, sed loci Veterum, a WETSTENIO ad cap. XIV: 10 allati, omnino suadent, ut scribamus: *si ita cadit*, sermone vernaculo: *indien het zoo valt*, cujusmodi interpretationem, praeeunte BEZA, HEYDENREICHIUS, MEIIERUS et OSIANDER defenderunt. Quid vero haec formula sibi velit, satis multos latuit, iam THEOPHILUM *Antioch.* qui, ante oculos habens PAULI verba, notavit: *Εἰ γὰρ τύχοι εἰπεῖν κόκκος σίτου ἢ τῶν λοιπῶν σπερμάτων, ἐπὰν βληθῇ εἰς τὴν γῆν, πρῶτον ἀποθνήσκει* cet. [3]). Nam ea referri tantum debet ad proxime sequens σίτου i. e. ad *triticum*, quod auctor, utpote frumentorum maxime eximium, nominatim memoravit, non vero ad remotiora ἤ τινος τῶν λοιπῶν scil. σπερμάτων. Quare retinendum Comma est, huic vocabulo in Editione Recepta subiectum, sed a TISCHENDORFIO aliisque hinc expulsum. Graecis respondent Latina: *et quod seris, non corpus illud seris, quod nascetur, sed merum granum, si ita cadit, tritici, vel alius cuiusdam frumenti.*

---

[1]) WINERUS Ed. IV. p. 156 provocavit ad *Rom.* VI: 10 et *Gal.* II: 20; sed Ed. V. p. 193 bene animadvertit, vulgarem notionem Pronominis ὅ commode retineri posse, ut explicetur *mortem, quam* et *vitam, quam*. Nec melius comparata sunt exempla apud MATTHIAM T. II. p. 1063, ab OSIANDRO etiam laudatum. Iure igitur meritoque WETTIUS hanc interpretationem improbavit.

[2]) WINER. p. 623.

[3]) *Ad Autol.* Lib. I. Cap. 13. p. 345 MAR.

PAULUS igitur a semine, quod in terrae gremium iniicitur, culmum distinxit, ex eo, postquam dissolutum est, prodeuntem. Hunc autem haud inepte *corpus illud* appellavit, *quod nascetur;* verum ita tamen scripsit, quoniam ante oculos habebat *corpus humanum, in vitam rediturum*. Quale illud futurum esset, lectorem docere voluit, hîc iam quodammodo occupans ea, quae infra enucleatius exponere constituerat. Bene CHRYSOSTOMUS: *Ὅταν λέγῃ, οὐ τὸ γενησόμενον σπείρεις, οὐ τοῦτο λέγει, ὅτι ἄλλη ἀντὶ ἄλλης οὐσίας ἀνίσταται, ἀλλ' ὅτι βελτίων, ὅτι λαμπροτέρα.* Hactenus quoque inter se consentiunt Interpretes, etiam recentissimi, HEYDENREICHIUS, MEIIERUS, WETTIUS, OSIANDER. Et haud pauci eorum viderunt, Apostoli in mente fuisse comparationem corporis immortalis, quod CHRISTI manet sectatores, cum *corpore mortali, quo nunc induti sunt.* Sic iam PELAGIUS, aiens: „Sicut de grano resurgit faecundior cum granis arista, ita et corruptibile corpus in gloria resurgit cum augmento." Imprimis digna, quae legatur, est disputatio MORI. At vel sic tamen Viris Doctis fraudem fecit opinio praeoccupata, tertium comparationis cerni in similitudine culmi, ex semine in terrae gremium iniecto prodeuntis, et corporis immortalis ex mortali corpore orituri, *postquam in sepulcro conditum sit.* Quod CALVINUM movit, ut PAULUM sibi voluisse contenderet: „quod mirum non sit ex putredine resurgere corpora, quum idem in semento contingat." MEIIERO iudice ad vs. 38 absurdam esse significavit cogitationem, si mortuorum reditus in vitam sit, idem, quod sepeliatur, redire debere corpus. Atqui Apostolus, sepulturam ne obiter quidem attingens, culmi ex mero grano, quod seritur, provenientis mentionem fecit, ut hoc ad necessitudinem, inter corpus huius et alterius vitae intercedentem, translato, lectores intelligerent, abiectam, in qua illud

hîc versatur, conditionem neutiquam impedire, quominus gloriose reviviscat. Et id quidem arcte cohaeret cum eo, quod ex argumentatione superiore vs. 36 sequitur, tantum abesse, ut praesens hominis mortalitas in futuram eius immortalitatem incurrat, ut, sicuti seminis dissolutio germinationem eius praecedit, sic mori ille debeat ad redeundum in vitam.

Vers. 38.

In huius sententiae Apodosi cum LACHMANNO et TISCHENDORFIO [1]), qui ducem iam habuerunt HARWOODUM, delendum puto Articulum τὸ, Adiectivo ἴδιον in Editione Recepta praemissum. Quod non solum suadere videtur auctoritas Codicum antiquissimorum, in quibus Articulus non legitur, sed consideratio etiam, librarios facilius impelli potuisse ad eum orationi addendum, quam omittendum. Ergo PAULUS iis, quae ab homine fiunt, Divina sic opposuit: Ὁ δὲ Θεὸς αὐτῷ δίδωσι σῶμα καθὼς ἠθέλησε, καὶ ἑκάστῳ τῶν σπερμάτων ἴδιον σῶμα. Quemadmodum autem Protasis bipartita est, sic quoque Apodosis, et ita quidem, nisi fallor, ut prius membrum versui proximo (37), posterius remotiori (36) respondeat. Hoc autem Interpretes fugisse, non magnopere mirandum est, si supra bene monui, eos argumentum disputationis inde a vs. 35 minus assecutos esse.

Nihil priori membro inest, quod interpretatione indigeat, praeter Verbum ἠθέλησε. CRELLIUS illud per Enallagen eodem redire contendit ac Latinum *vult*, quod habet etiam Vulgata. Sed uti Grammaticorum levitatem

---

[1]) In Ed. priori. Nam in posteriori Articulum excudendum curavit.

huiusmodi Enallagen temere finxisse novimus, sic Aoristus verbi ἐθέλω vel θέλω *Col.* I: 27. 1 *Thess.*.II: 18. *Phil.* 14 et ubique in libris Novi Testamenti inservit ad tempus Praeteritum indicandum. Nec tamen asseveraverim licere, ut formulam καθὼς ἠθέλησε referamus ad leges a Deo naturae inditas, quum hanc terram fabricaretur, eamque cum MORO explicemus: *prout semel instituit*, quae plerorumque sententia est. Ut enim dubito, an pro Perfecto τεθέληκε vel ἠθέληκε, quod in Veterum scriptis haud raro legitur [1]), usurpari potuerit Aoristus ἠθέλησε [2]); sic tempus illud haud magis Cap. XII: 18, ubi Aoristus ἔθετο praecedit, quam in aliis Novi Testamenti locis Perfecti notionem habet. Nihil tutius videtur quam interpretari: *sicut volebat.* Quod si *Providentiae Divinae voluntatem* spectare existimamus, mens PAULI in priori membro haec est: *Sed Deus mero, quod tu seris, grano culmum dat, qualem illi dare Providentiae eius omnia gubernanti ab initio placebat.* Atque sic perpetuum naturae in frumentorum generatione processum Deo tribuit, quoniam non solum sibi persuasum habebat, quidquid hoc in mundo adspectabili existat, vi eius existere, sed etiam, ut WETTSTEINUS aliique Interpretes animadverterunt, et repetitio vocabuli σῶμα docet, de mortuorum disputabat in vitam reditu, omnipotentis Dei virtute efficiendo. *Homini* autem, quem vs. 37 nihil aliud serere monuit, quam merum granum, nunc *Deum* opponit, qui per naturae operationem, inde ab antiquo, sublimem producit et frumenti plenum culmum. Imagine vero ad causam argumentationis translata, dicere voluit, ex hoc corpore abiecto, quod hac in vita gestamus, Deum facere, ut corpus gloriosum proveniat.

[1]) PHRYNICH. p. 332 ibique LOBECK. Plura exempla dat *Thes. Stephani* v. ἐθέλω.

[2]) WINER. p. 319, 320.

Ad posterius membrum notavit OECUMENIUS: *τοῦτο τῶν αἱρετικῶν ἐμφράττει τὰ στόματα, τῶν λεγόντων, τὸ αὐτὸ σῶμα ἐν τῇ ἀναστάσει μὴ ἐγείρεσθαι, ἀλλ' ἕτερον.* Similiter THEOPHYLACTUS aliique. Sed Haereticos recentioris memoriae cum *Corinthiis*, PAULI aequalibus, confudisse videntur. Nec maiori iure MOSHEMIUS et MICHAËLIS Apostolum placita *Essenorum* vel *Gnosticorum* refutasse censuerunt, ut monent etiam GERDESIUS, BOSVELDIUS, OSIANDER. Si COCCEIO, HEYDENREICHIO aliique fides est, rationem ille habuit verborum *Gen.* I: 11, 12, quod fortasse iam placuit *Syro*, postrema interpretanti ܦܓܪܐ ܕܝܠܗ; sed, deleto Articulo *τὸ*, non crediderim hoc stare posse. Formula enim *ἴδιον σῶμα* explicanda est *aliquod corpus sibi proprium*, quae notio vocabuli *ἴδιος* est *Act.* III: 12. 1 *Cor.* VII: 7. 2 *Pet.* I: 20 ceterisque in locis omnibus, in quibus caret Articulo, etiam *Act.* XIII: 36, ubi PAULUS, si verbis *ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας* sibi voluit: *postquam commodis inservierat hominum aetatis alicuius* i. e. *unius tantum sibi propriae*, DAVIDEM postposuit CHRISTO, ad salutem hominibus omnium aetatum afferendam in vitam revocato. Itaque Graeca huius membri sic explananda videntur: *et quidem* [1]) *unicuique seminum, quod tu seris, Deus dat corpus aliquod sibi proprium*, quibus duo in luce collocantur: similitudo grani et culmi, quatenus Deus facit, ut ex ipso illo grano, quod homo serit, culmus oriatur tritici aliusve frumenti; dissimilitudo, quatenus interest inter merum granum et culmum sublimem et frumenti plenum. Utrumque remotioribus vs. 36 opponens auctor lectores suos ad id attentos facit, quod norunt, granum dissolutionem subire debere, ut reviviscat in culmo eoque ob praestantiam suam cum grani tenuitate incompara-

---

[1]) Cf. praeter MEIERUM et WETTIUM, WINERUS p. 515.

bili. Atque hac imagine, de qua imprimis legi meretur BOSVELDIUS, contradicenti os obstruere conatur, quoniam inde sequitur, Deum virtute sua omnipotenti facere posse, ut CHRISTI sectatores, qui mortui sunt, reviviscant, nunc vero non amplius grano, quemadmodum hac in terra fuerunt, sed culmo similes, non amplius corpore induti mortali, sed immortali.

Vers. 39.

Primo Simili PAULUS *alterum Simile* adiungit: **Οὐ πᾶσα σὰρξ ἡ αὐτὴ σάρξ· ἀλλὰ ἄλλη μὲν ἀνθρώπων, ἄλλη δὲ σὰρξ κτηνῶν, ἄλλη δὲ πτηνῶν, ἄλλη δὲ ἰχθύων.** In Editione Recepta praecedit vocabulum *ἰχθύων*, sequitur *πτηνῶν*, sed Traiectionem orationi opitulantem, ut via et ratione procedat, cum LACHMANNO et TISCHENDORFIO fieri iubet auctoritas librorum veterum. Eadem auctoritate fretus delevi vocabulum *σάρξ* Particulae *μὲν* subiectum, cuius correctionis etiam auctores sunt GRIESBACHIUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS, alii. Audiendum tamen non puto BENGELIUM monentem, eleganter omitti appellationem *carnis*. Quaenam enim isthaec tandem elegantia est? Immo Apostolus, ad verba minus quam ad rem attendens, vocabulum *σάρξ* omisit et repetitionem eius ex praecedentibus lectori reliquit.

Animalium hic non dari recensionem omnibus numeris absolutam, quisque sua sponte videt. Non necesse igitur est vocabulum *κτηνῶν* cum WETTIO, OSIANDRO aliisque interpretari *quadrupedum;* sed, si illud vertendo reddimus *iumentorum,* eandem ei tribuimus notionem, quam habet *Luc.* X: 34. *Act.* XXIII: 24. *Apoc.* XVIII: 13, ubi legimus *κτήνη καὶ πρόβατα,*

quod quoque non commendat interpretationem *peccatorum*, quam *Vulgata* praeiit et BEZA etiam probavit. Hominis caro, quum ille, ut recte monet ARETIUS, principatum habeat, ante ceterorum animalium carnes memoratur. Nec tamen principatus eruendus est ex usu Particularum μὲν et δὲ, quae nihil aliud quam *tum*, *tum* significant, etiam ubi δέ repetitur: cuius repetitionis, in libris Graecorum ad varia recensenda tritae [1]), exempla Cap. I: 12 et alibi in Novo Testamento exstant. Vocabulum σὰρξ iam *Syrus* eodem ܦܓܪ ac praecedens σῶμα reddidit. Sed haec confusio *substantiae animalis* et *materialis* est, quae, quantum absurdi habeat, luculenter apparet, si prima huius orationis verba sic mutamus: *Οὐ πᾶν σῶμα τὸ αὐτὸ σῶμα.* Nec minus absurdum sit, aut vs. 50 σῶμα pro σὰρξ, aut rursus vs. 35 sqq. 40, 44 σὰρξ pro σῶμα substituere [2]). Vel sic tamen satis multi Interpretes notionem *corporis* hîc vocabulo σὰρξ affinxerunt, orationis seriem minus assecuti. Iam CHRYSOSTOMUS, quocum OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS consenserunt, futuram impiorum mortem a PAULO memorari putans, verbis eius adscripsit: *καίτοι πάντα σώματα, ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν πλέονι, τὰ δὲ ἐν ἐλάττονι εὐτελείᾳ.* Quidni silentio praeteream vana TERTULLIANI similiaque commenta, ab ESTIO iam refutata? Sed haud paucis fraudem fecit opinio, quae WETTIUM etiam occupavit, auctorem hoc versu contradictionem: *ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται* aggressum esse. Atqui indicium, ut supra iam notavi, transgressionis ab altero argumento ad alterum hîc frustra quaeritur. Sine Particula, quae orationis copulationi inserviat, PAULUS imagini imaginem adiunxit. Hinc apparet, eum rem antea inceptam persecutum

---

1) Cff. VIGER. p. 535. MATTH. p. 1485, 1486.

2) Cf. VAN GRIETHUYSEN. l. l. p. 40 sq. 51 sq.

esse, et proxime quidem praecedentibus: *ἑκάστῳ τῶν σπερμάτων ἴδιον σῶμα* praecipue incitatum. Ad nexum faciendum interponere licet cogitando: *Novo utar simili.* Hoc autem simile sic se habet: *Non omnis caro eadem caro est; sed alia quidem hominum, alia vero caro iumentorum, alia vero volucrum, alia vero piscium.* Quod haud male HAMMONDUS sic explicuit: „Quemadmodum etiam in terris caro a carne multum differt; ita, et quidem potiore iure, immane quantum differt corpus humanum hac in vita a corpore humano in aeternam gloriam admisso." Ex simili nempe suo PAULUS voluit, ut intelligerent lectores, Deum, qui animalium carni tantum varietatis indidisset, haud impotentem esse ad corpus homini dandum praestantius, quam hac in terra habuerit. Similiter multi, praesertim recentioris memoriae, duce CALVINO, interpretati sunt. Tenendum vero est, nullam hîc rationem haberi *egressionis* corporum hominumve *e sepulcris.* Multo minus auctor docuit, sectatores CHRISTI alia *carne indutum iri,* quam putrefacta sit. In carnium autem varietate quum vis argumentationis cernatur, res ipsa loquitur, hac imagine abuti, qui inde cogant, ante oculos eius obversatam esse graduum beatitatis, hominibus probis destinatae, diversitatem.

Vers. 40, 41.

Sequitur *tertium Simile,* cuius initium sic se habet: *Καὶ σώματα ἐπουράνια, καὶ σώματα ἐπίγεια.* Interpretes antiquos, qui cum CHRYSOSTOMO altero *probos,* altero *improbos* denotari somniarunt, redarguere nihil attinet. Alia quoque silentio praeterire licet Veterum commenta, quae memorarunt ESTIUS et GERDESIUS. Sa-

tis superque probata est vulgaris sententia, PAULUM vocabulis σώματα ἐπουράνια *lumina* proposuisse *aetherea*. Nuper quidem viri egregii, MEIERUS et WETTIUS, opinionem renovarunt, a THEOPHYLACTO iam refutatam, his vocabulis *corpora* significari *Angelorum* seu *Geniorum coelestium*; sed recte OSIANDER argumenta, quibus usi sunt, levia esse ostendens [1]) vulgarem sententiam tuitus est. Primum enim opinioni illi obstat commemoratio *solis*, *lunae* et *stellarum* vs. 41, non ad novum Analogiae exemplum superiori addendum, sed *ad species generi subiiciendas*, quemadmodum vs. 39 huic illae subiectae sunt. Deinde, quum similia a rebus adspectabilibus petenda sint et in oratione contexta inde petantur, hoc loco vix aut ne vix quidem in censum venire possunt naturae a sensibus remotae. Porro in argumentatione quaedam regnat confusio, si animalium carnibus et luminibus aethereis genii coelestes interponuntur. Tum PAULUS, adversus eos disputans, qui reditum mortuorum in vitam negabant vel de eo dubitabant, provocare non potuisse videtur ad genios illos, nisi exemplo uti vellet, quod huiusmodi hominum iudicio nullum esset. Mitto quaestionem, an aliis locis Novi Testamenti consentaneum sit, his geniis corpora tribuere sibi propria atque ea σώματα ἐπουράνια appellare, ubi nihil aut praecedit, aut sequitur, formulae illi lucem praebens. Sed vereor quoque, ut Antithesis, qua his corporibus σώματα ἐπίγεια opponuntur, interpretationem MEIERI et WETTII ferat, nisi quis *corpora* TANTUM *humana* iis significari putet. Hoc vero, ut ipsum Viris illis Doctis non placet, ita prorsus incurrit in orationem PAULI, qui ne terrestria quidem hominum corpora attingere potuit, quoniam *exemplis* probare conabatur, ea in coelestia mutatum iri. Ergo

---

[1]) Cf. *Sir.* XLIII: 2. sqq.

si vocabulum ἐπίγεια ita explicare volumus, ut ostendamus, qualia corpora sigillatim intelligenda sint, nobis cavere debemus, ne assentiendo Interpretibus, quos OSIANDER etiam secutus est, *humana* iis admisceamus. Minus certe a via deflectunt, qui cum HEYDENREICHIO res intelligi iubent corporeas, quae praeter plantas et animantia his in terris inveniuntur. Sed quis asseverare ausit, Apostolum, quum *generatim* corpora terrestria memoraret, ad *singulas* aliquot *species* attendisse animum? Quare tutius omnino videtur nihil definire. Quidquid vero huius rei est, nemo negabit Graeca respondere Latinis: *Et* [*sunt*] *corpora coelestia, et corpora terrestria.*

Cum praecedentibus arcte cohaerent sequentia: ἀλλ' ἑτέρα μὲν ἡ τῶν ἐπουρανίων δόξα, ἑτέρα δὲ ἡ τῶν ἐπιγείων. Vocabulum δόξα Vulgatus Latinus, sibi non constans, hoc versu interpretatur *gloria*, vs. vero 41 *claritas*, quod iure meritoque reprehenderunt VALLA et ERASMUS. GROTIUS, quem FLATTUS, KRAUSIUS aliique secuti sunt, eo denotari censens *rerum speciem*, τὸ εἶδος, ab usu loquendi discessit, in Novi Testamenti libris reperiundo. HEYDENREICHIUS illud quatuor explicuit Latinis: *virtute*, *dignitate*, *praestantia*, *excellentia*, quorum nullum verae eius potestati respondet. Certam quoque interpretandi normam deseruit WETTIUS monendo, vocabulum δόξα quoad coelestia esse *splendorem*, quoad terrestria *pulcritudinem*. Similiter MEIJERUS aliique. Utique hoc vocabulum his in libris, quoties res memorantur in oculos cadentes, *splendorem* significat; atque hoc loco illud aliter accipi nequit propter proxime sequentia: Ἄλλη δόξα ἡλίου. PAULUS autem, uti longe abest ab aiendo, *omnia* corpora terrestria splendore praedita esse, sic ea tantum intelligi vult, quae hactenus cum coelestibus comparari possunt. Dissimilitudinem splendoris utrorumque indicat praepositum ἑτέρα, quod,

quamquam hîc et alibi cum Adiectivo ἄλλη permutatur, notionem tamen non omnino eandem habet, sed ad splendoris *diversitatem* lectorum ante oculos collocandam inservit [1]). Quae quum ita sint, Apostoli mens esse videtur: *sed alius generis coelestium, alius generis terrestrium splendor est.* Atque sic hoc quoque exemplo *Corinthios* docuit, Deum, qui alium splendorem coelestibus corporibus, alium terrestribus daret, haud impotentem esse ad corpus homini dandum praestantius, quam hac in terra haberet. Quod plerisque quoque Interpretibus visum est, praeeunte iam PELAGIO. CHRYSOSTOMI autem aliorumque Patrum commento, supra memorato, vocabulis ἐπουράνια et ἐπίγεια *probos* et *improbos* denotari, ut iam bene animadvertit ESTIUS, vehementer obstat adiunctum δόξα, quippe *probis* quidem congruens, *improbis* vero non item. Quod ipse sentiens OECUMENIUS, se aliter expedire nescivit, quam formula ἑτέρα δὲ δόξα temere interpretanda ἑτέρα δὲ διαγωγή.

Iam idem simile ut ulterius persequatur, auctor alteram eius mittit partem, quippe omnium sub oculos minus cadentem, alteram sic explicat: Ἄλλη δόξα ἡλίου, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης, καὶ ἄλλη δόξα ἀστέρων· ἀστὴρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει ἐν δόξῃ i. e. *Alius* [*est*] *splendor solis, et alius splendor lunae, et alius splendor stellarum: stella enim a stella differt, quod attinet splendorem.* Sic vim Praepositionis ἐν mihi expressisse videor [2]). Verbum autem διαφέρει minus commode a nonnullis redditur *praestat*, quum hac in oratione non *praestantiae* splendoris, sed *varietatis* eius ratio habeatur. Ceterum nulla hîc est difficultas, si excipitur quaestio, quomodo postrema cum praecedentibus cohaereant. Nihil lucis attulit GURLITTUS, ea in Parenthesi poni iubens. Temere

---

[1]) Cf. TITTMANN. p. 155, 156. item STEPHANI *Thesaur.* v. ἕτερος.

[2]) Cf. MATTHIAE. Tom. II. p. 898.

autem, nexus faciendi causa, verbis *καὶ ἄλλη δόξα ἀστέρων* duplicem affingunt sensum, qui cum CRELLIO Apostolum sibi voluisse contendunt, *stellas non tantum a sole et luna, sed etiam a se invicem splendore differre*, quod OSIANDRO etiam placuit. Series vero orationis turbatur a MEIIERO aliisque, qui ea interpretantur: *et splendore a se invicem stellae differunt.* Haec enim series omnino postulat, ut stellarum splendor cum solis et lunae splendore comparetur. Quid vero, si, nexum quaerentes in Plurali *ἀστέρων*, Graeca sic explicamus: *et splendore a sole et luna stellae differunt quaelibet suo modo?* Tum recte sequitur *stella enim a stella differt, quod attinet splendorem.* Similiter WETTIUS aliique. Iam multi veterum, duce CHRYSOSTOMO, PAULUM ita scripsisse putarunt, ut lectores doceret, tam in futura sectatorum CHRISTI beatitate, quam in probitate eorum, gradus distinguendos esse. Unus alterque cum AMBROSIO eo delapsus est, ut stellis caliginosis miseram impiorum conditionem adumbrari opinarentur. Omnes vero, quantum novi, recentiores haec somnia spreverunt. Nec tamen nonnulli, uti OSIANDER, a se impetrare potuerunt, ut ab Apostoli mente, quum hunc versum superiori adiiceret, omnem gradationis cogitationem alienam fuisse crederent. Sed huiusmodi cogitationi nec locum dat consilium disputationis a PAULO institutae, neque ulla imaginum, quae hac in oratione praecedunt, neque applicatio earum vs. 42. ad rem praesentem. Quare cum CALVINO et plerisque Interpretum, etiam MEIIERO et WETTIO, sequi debemus PELAGIUM, cuius verba sunt: „Tota comparationis huius diversitas ad hoc facit, ut credas, unum genus reparare facile posse, qui tanta fecit ex nihilo.‟ Quod OLSHAUSENIUS ait, Apostolum, si nihil amplius voluisset, longius excursurum non fuisse, postquam diversum corporum coelestium et terrestrium splendorem proposuisset, neminem sane movebit, qui meminerit, hunc scri-

ptorem saepe ingenii sui fervore a generibus ad species transilire. Ergo, generatim memorato corporum coelestium splendore, non quidem exempla affert, ut BILLROTHO visum est, sed sigillatim recenset, quae in coelis sunt, solem, lunam, stellas, ut ex vario horum luminum splendore lectores intelligant, Deo non deesse potentiam corporis nostri mortalis in immortale mutandi.

Vers. 42, 43.

Novo hîc, nisi fallor, exemplo docemur, quantum Traditio valeat Exegetica ad errores propagandos. Initium iam ceperunt ab interpretatione verborum: *Οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν*, ad quae notavit CHRYSOSTOMUS: *οὕτω· πῶς; ἐν διαφορᾷ πολλῇ.* Eadem repetierunt OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, alii. Putarunt igitur haec etiam referenda esse ad *gradus* beatitatis, hominibus in vitam redituris destinatos. Quod ut ferri posset, sumendum erat, Apostolum, missa altera et tertia imagine (vs. 39—41.), ad primam (vs. 36—38.) rediisse, ut inter corpus, quod sepelitur, et corpus, quod suscitabitur, eodem modo interesse ostenderet, atque inter semen solo iniectum et frumentum inde proveniens. Sed sic quoque sumi debet, nexum orationis a PAULO interruptum esse. Quod nemo clarius effatus est quam CHRYSOSTOMUS aiens: *Εἶτα ἀφεὶς τοῦτον τὸν λόγον ὡς ἀρκούντως ἀποδειχθέντα, πάλιν ἐπ' αὐτὴν τῆς ἀναστάσεως τὴν ἀπόδειξιν καὶ τὸν τρόπον ἔρχεται, λέγων· σπείρεται* cet. Similiter multi iudicarunt Interpretes recentioris memoriae, etiam OSIANDER. Sed qui nexum orationis interruptum esse sumit, negare nequit, auctorem altera et tertia imagine (vs. 39—41.) inconsulte usum esse, quod valde improbabile est. Deinde

ipsa verba Οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν nihil continent, quod prodit, eum utramque illam imaginem transiliisse, ut ad primam (vs. 36—38.) rediret. Neque hoc intelligitur ex sequenti σπείρεται, quod quidem petitum est a semine supra memorato, sed cui talia subiecta sunt, ut luculenter pateat, singulas orationis sequentis partes singulis imaginibus praecedentibus respondere, hactenus tamen inverso ordine, ut altera pars: σπείρεται — δόξῃ tertiae: καὶ σώματα — διαφέρει ἐν δόξῃ respondeat, tertia vero: σπείρεται — δυνάμει alteri: Οὐ πᾶσα σάρξ — ἰχθύων. Quae ordinis negligentia ab epistolarum commercio non aliena est. Recte igitur ESTIUS, MORUS, BOSVELDIUS aliique, quamvis vario modo a via aberrantes, animadverterunt, PAULUM nunc tria similia applicasse ad disputationis argumentum. Verbis nempe Οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν i. e. *Sic etiam reditus mortuorum in vitam* breviloquentia inest, qualem in rerum naturae et regni Divini comparatione tritam esse docent *Marc.* IV: 26. *Ioann.* III: 8, item *Matth.* XIII: 24, 31, 33 al. Particula autem καὶ nobis monstrat, quomodo ea, quae reticentur, uti 1 *Cor.* II: 11. IX: 14 aliisque in locis, ex praecedentibus supplenda sint. Ergo oratio, nisi fallor, explicanda est: *Sic reditus mortuorum in vitam differt ab huius vitae conditione.* Quo tanquam introitu auctor usus est ad causas discriminis utriusque vitae deinceps commemorandas. Haud longe aliter CRELLIUS, qui tamen locos confudit, in quibus Articulus Nomini praepositus et non praepositus est. Ceterum HEUMANNUS, SEMLERUS aliique bene monuerunt, maiori distinctione opus esse, quam Editio Recepta aliaeque habeant, sequentia σπείρεται — ἀφθαρσίᾳ perperam ad hunc eundem versum referentes. Sed ut interpretationis propositae, sic etiam huius distinctionis probitas a probitate pendet eorum, quae infra disputabuntur.

Praecipua quaestio est, quomodo verbum σπείρεται accipiendum sit. Vulgo Interpretes reticeri putant vocabulum σῶμα, ex vs. 44 huc transferendum. Quod probavit etiam BRIËTIUS, ea tamen conditione, ne hîc quoque Articulus vocabulo praefigatur. Sed lubrica mihi omnis esse videtur interpretatio, quae ad orationem complendam Nomen aliquod mutuatur ex sententia infra proposita. Nec, me iudice, loquitur, ut MEIJERUS, WETTIUS aliique asseverarunt, res ipsa, Nominativum σῶμα intelligendum esse. Et, si vocabulum σῶμα ad mentem PAULI explicandam omnino requiritur, valde miror, eum illud omisisse. Quid? quod primaria quaestio inde a vs. 35, ut ipse egregie BRIËTIUS probavit, de *hominibus mortuis* est, non de eorum corporibus [1]. Quare Apostolus hîc quoque *hominem*, seu *sectatorem* CHRISTI, non corpus eius, spectasse censendus est. At *impersonaliter* tamen, ut BOSVELDII etiam sententia est, scripsisse videtur *seritur* (sermone vernaculo: *er wordt gezaaid*). Exempla Passivi sic usurpati praebent *Matth.* V: 21, 27, 31, 33, 38, 43 aliique loci [2]. Nec sine causa PAULUS hoc nunc imitatus est, si bene vidi, orationem eius explicandam esse: Ὁ ἄνθρωπος σπείρει, ὁ Θεὸς ἐγείρει. Sed haec explicatio ut stare possit, aliam notionem tribuere debemus Verbo σπείρεται, quam Traditio fert Exegetica. Apud CHRYSOSTOMUM legimus: *Σποράν δὲ ἐνταῦθα οὐ τὴν γένεσιν ἡμῶν λέγει τὴν ἐν μήτρᾳ, ἀλλὰ τὴν ταφὴν τὴν ἐν τῇ γῇ τῶν τετελευτηκότων σωμάτων, τὴν διάλυσιν, τὴν τέφραν*. Eandem interpretationem secuti non solum sunt OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, ceterique, quantum novi, veteres [3]), sed plerique etiam recentiores, nuperrime

[1]) Cff. CRELLIUS et BOSVELDIUS ad h. l.

[2]) Cf. MATTHIAE. Tom. II. p. 758.

[3]) Iam TERTULL. *adv. Marc.* Lib. V. Cap. 10 scripsit „seminationem vocavit dissolutionem corporis in terram."

MEJERUS, WETTIUS, OSIANDER. Vulgo igitur Graecum *σπείρεται* Latino reddunt *sepelitur*, seu, quod eodem redit, *conditur*. Neque argumentum tamen alicuius ponderis afferunt, quo tralaticium illud tueantur. Quod enim GROTIUS monuit: „Cum posset dicere *sepelitur*, maluit dicere *seritur*, ut magis insisteret similitudini supra sumtae de grano," in luce quidem ponit, cur Apostolus usus sit verbo *σπείρεται*, neutiquam vero argumentum praebet illius explicandi *sepelitur*. Ab *Euphemismo* autem, quem cum aliis praedicat BENGELIUS, aliena oratio est, cui insunt formulae, nihil suavitatis habentes, *ἐν φθορᾷ, ἐν ἀτιμίᾳ, ἐν ἀσθενείᾳ*. Quare mirandum est, BRIËTIUM, strenuum vulgaris opinionis adversarium, paucos tantum habuisse duces: CRELLIUM, SLICHTINGIUM, etiam CALVINUM, cuius verba sunt: „PAULUS se exponit, discrimen explicando praesentis status ab eo, qui resurrectionem sequitur," et paulo inferius: „Praesentis vitae tempus Metaphorice sationi comparat, resurrectionem vero messi." Profecto quod vulgo sumunt, ex nullo alio fonte, quam ex minus intellecta oratione contexta profectum est, refragante loquendi usu. Frustra enim in libris Veterum quaeruntur loci, Verbum *σπείρειν* a *serendi* notione ad notionem *sepeliendi* similemve transferentes [1]). Sed si notionem ei tribuimus *procreandi* [2]), exemplorum, quorum auctoritate nitamur, nobis praesto est satis magna copia. Cognita sunt verba SOPHOCLIS [3]): *Ἀτρέα, ὅς αὖ σ᾽ ἔσπειρε* cet. Similia alibi tam apud eundem Poë-

---

[1]) Ad *terrae frugem* enim, non ad OSIRIDEM pertinet Participium *σπειρόμενος* apud Plutarch. *de Iside et Osiride*. Opp. Tom. II. p. 377 B. XYL. ubi inducuntur *λέγοντες θάπτεσθαι μὲν τὸν Ὄσιριν, ὅτε κρύπτεται τῆς γῆς σπειρόμενος ὁ κάρπος· αὖθις δὲ ἀναβιοῦσθαι καὶ ἀναφαίνεσθαι, ὅτε βλαστήσεως ἀρχή.*

[2]) Non dico *nascendi*, uti SLICHTINGIUS aliique. Haec enim notio a verbo *σπείρεται* aliena est.

[3]) *Aiac.* vs. 1293.

tam, quam apud alios exstant [1]). Nec tantum praeeunt scriptores ligatae, sed etiam solutae orationis. Quid evidentius quam quod DIOGENES [2]) adolescentulo cuidam dixit: *Νεανίσκε, ὁ πατήρ σε μεθύων ἔσπειρε?* Eodem ducit SOCRATIS illud apud PLATONEM [3]): — *ἵνα — ὡς πλεῖστοι τῶν παίδων ἐκ τῶν τοιούτων σπείρωνται.* Adde quod legimus 4 *Macc.* IV: 10. Ibi tertius septem fratrum, qui crudeliter interfecti sunt, oppressoribus suis dicit: *Ἀγνοεῖτε, ὅτι ὁ αὐτός με τοῖς ἀποθανοῦσιν ἔσπειρε πατήρ, καὶ ἡ αὐτὴ ἐγέννησε μήτηρ, καὶ ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἀνεστράφημεν δόγμασι* [4]). Sed provocare etiam me posse puto ad Interpretem Graecum *Zach.* X: 9, qui Hebraea ואזרעם בעמים vertendo reddidit: *καὶ σπερῶ αὐτοὺς ἐν λαοῖς.* Haec enim verba non, ut HITZIGIUS [5]) aliique volunt, inservire ad populi dispersionem, sed ad *sobolis procreationem* Israëlitis praedicendam, intelligimus ex oratione praecedente. Quominus autem in PAULI Epistola Verbum *σπείρεται* interpretemur *procreatur*, impedimento non est oppositum *ἐγείρεται*, quod non explicandum esse *suscitatur ex sepulcro*, sed *suscitatur ex morte* vel *mortuis*, probavimus ad vs. 35. Sed hinc aliena quoque est notio *producendi, quae nondum exstiterunt*, a CRELLIO in medium allata. Iam idem illud, quod loquendi commendat usus, postulat hîc oratio contexta. Primum enim si consideramus ea, quae infra usque ad vs. 49 ab Apostolo disputantur, hominem immortalitati destinatum

---

[1]) *Oedip. Tyr.* vs. 1498. *Trach.* vs. 33. *Electr.* vs. 533. EURIPIDIS *Phoeniss.* vs. 18, ubi *Schol.* vet. Tom. IV. p. 406 verbi honestatem laudavit. Cff. THOM. *Mag. Onom.* p. 187 BERNARD. IACOBS *Anthol. Gr.* Tom. IX. p. 89. item STEPH. *Thes.* Ed. nov. Lond. v. *σπείρω.*

[2]) In Comment. *De liber. educ.* adscript. PLUTARCHO. l. c. p. 2 A.

[3]) *Republ.* Lib. V. p. 460 B.

[4]) Locus exstat apud FLAV. IOS. cuius nomen liber temere gerere videtur, Tom. II. p. 511 HAV.

[5]) *Die zwölf kleinen Profeten erklärt*, ad h. l.

non distingui videmus ab homine mortuo, qui sepeliatur, sed ab *homine, qualis hac in terra vivat:* unde sequitur, *sepultura* in vss. 42, 43 importanda nexum ratiocinationis tolli. Deinde haec interpretatio non quadrat in vs. 44, ubi memoratur *σῶμα ψυχικόν*, quo WETTIUS etiam monuit, conditionem corporis *quatenus vivat*, non *quatenus mortuum sit*, significari. Praecesserunt ESTIUS, ROSENMULLERUS, FLATTUS, RÜCKERTUS, BOSVELDIUS; secutus est OSIANDER. Nec sibi tamen illi constiterunt hoc ad corporis referentes conditionem, *quae maxime in morte cernitur;* siquidem nulla hîc *mortis* ratio habenda est, multo minus vero *sepulturae.* Progredior ad tertium argumentum, quo supra propositam interpretationem Verbi *σπείρεται* probem, vulgarem refellam. Sed singulae illud praebent partes orationis, cuius in tractatione nunc versamur.

Et prima iam orationis pars: *σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ* ita comparata est, ut verbum *σπείρεται* explicari nequeat *sepelitur*, sed explicandum sit *procreatur*. GERDESIUS ferri posse concedit MOSHEMII sententiam, vocabula *ἐν ἀφθαρσίᾳ* sumenda esse pro *εἰς ἀφθαρσίαν*; hoc vero OSIANDER iure meritoque reprehendit. Eodem iure reprehendendus est OECUMENIUS, qui praecedentibus *ἐν φθορᾷ* adscripsit: *τουτέστιν, ἐπὶ τῷ φθαρῆναι.* Omnes hodie vident Interpretes, Praepositionem *ἐν* vss. 42, 43 inservire ad *conditionem* denotandam. Et conditionem proponi, cuius particeps sit illud, quod verbo *σπείρεται*, expers, quod verbo *ἐγείρεται* significetur, probe intelligemus, si animadverterimus, Substantiva carere Articulo. Sed propterea hanc orationis partem aliter interpretari non possumus quam: *Procreatur* (scil. *quum hanc in vitam venit*) *homo corruptionis particeps; suscitatur* (scil. *postquam hac ex vita excessit*) *homo corruptionis expers.* Alteri autem *miseriam*, alteri *beatitatem* inesse, apparet tam ex disputationis serie, quam ex vs. 50, 53, 54, qui loci

quoque docent, formulam *ἐν φθορᾷ* eandem vim non habere ac Participium *ἐφθαρμένον*, sed ei respondere Adiectivum *φθαρτόν*, uti etiam monuerunt BEZA, GROTIUS, GURLITTUS, FLATTUS. Hinc vero sequitur, eam homini quidem convenire, *qui procreetur*, sed corpori, *quod sepeliatur*, non item. Tum *cadaveris sepeliendi* cogitatio hinc longe remota est propter ipsum verbum *σπείρεται*, quippe a *semine* petitum, quod *non mortuum est*, sed *vivit*, quando terrae mandatur. Legantur etiam hac de re CRELLIUS et SLICHTINGIUS.

De altera orationis parte: *σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ, ἐγείρεται ἐν δόξῃ*, mihi breviori esse licet. Nihil probat exclamatio CHRYSOSTOMI: *τί γὰρ εἰδεχθέστερον νεκροῦ διαῤῥυέντος*, quamvis plausu eam prosecuti sunt THEODORETUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, nuper HEYDENREICHIUS, MEIIERUS, alii. Ex eo enim, quod vocabulum *ἀτιμίᾳ* hîc, aeque ac 2 *Cor*. VI: 8, significat *quod revera dedecori est*, cogi nequit, PAULUM *cadaver* spectasse. Immo hoc magis in hominem quadrat, vitiis obnoxium, quae ex rerum externarum cupiditatibus oriuntur, quam in corpus, quod sepelitur. Ergo Graeca sine scrupulo interpretor: *Procreatur* (scil. *quum hanc in vitam venit*) *homo dedecoris particeps; suscitatur* (scil. *postquam hac ex vita excessit*) *homo splendoris particeps*. Notionem autem *splendoris* non propriam, sed translatam esse, uti *Rom*. II: 7, 10. 1 *Cor*. II: 7 al. res ipsa loquitur. Nulla sane ratione nituntur, quae disputavit AUGUSTINUS *de corporis beatorum pulcritudine* [1]). Alterum vero membrum CRELLIUS extenuavit, *ἀτιμότερα τοῦ σώματος*, quae Cap. XII: 23 memorantur, cum hac oratione comparans.

Pervenimus ad tertiam orationis partem: *σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, ἐγείρεται ἐν δυνάμει*. Vocabulum *ἀσθένεια* plerique interpretes minus intellexerunt. Prae-

---

[1]) *De Civit. Dei* Lib. XXII Cap. 20, 21.

cessit CHRYSOSTOMUS, cuius verba sunt: *Οὔπω γὰρ ἡμέραι τριάκοντα, καὶ τὸ πᾶν ἀπώλετο, καὶ κατασχεῖν ἑαυτὴν ἡ σὰρξ οὐ δύναται, οὐδὲ πρὸς μίαν ἀρκέσαι ἡμέραν.* Aliter THEODORETUS, lectorem rogans: *Τί γὰρ τοῦ ἰχῶρος ἐκείνου ἢ τῆς κόνεως ἀσθενέστερον;* Utrumque repetiit *Scholiastes* apud MATTHAEUM. Neutrum vero aliunde petitum est quam ex perversa interpretatione verbi *σπείρεται.* Similiter in loquendi usum incurrit sententia MEIJERI aliorumque, qui significari aiunt *corporis conditionem, qua omnis plane agendi vis sublata sit.* Quod cum nonnullis antiquioribus videns WETTIUS, vocabulum *ἀσθένεια* referri non posse monuit *ad corpus mortuum.* Sed mirandum est, Viros Doctos, qui ita sentirent, vel sic tamen verbum *σπείρεται* interpretatos esse *sepelitur.* Profecto, uti nusquam vocabulum *ἀσθένεια* de re aut persona usurpatur, quae sensu destituta est, sic in Novi Testamenti libris, et Singulari, et Plurali, nunc morbus significatur corporis, nunc imbecillitas hominis, sive naturalis seu moralis. Praesertim ita appellatur *imbecillitas, quae ex carne oritur*, uti *Rom.* VI: 19. *Gal.* IV: 13. Eandemque PAULUS, nisi fallor, hoc in loco ante oculos habuit. Oppositum autem *δύναμις* si *facultatem* denotare dixero *omnibus viribus libere utendi*, neminis in reprehensionem me incursurum confido. Cff. 1 *Cor.* II: 3, 4. 2 *Cor.* XII: 9, 10. Itaque nihil obstat, quominus Graeca sic explicemus: *Procreatur* (scil. *quum hanc in vitam venit*) *homo imbecillitatis, quae ex carne oritur, particeps; suscitatur* (scil. *postquam hac ex vita excessit*) *homo facultatis particeps omnibus viribus libere utendi.* Iam, uti praecedens orationis pars respondet imagini a luminibus coelestibus petitae; sic haec tertia, remotiorem distinctionem variorum carnis generum spectans, hominem docet, qui nunc potestati carnis subiectus sit, vim libere agendi accipere posse.

Vers. 44.

Iam homine, qui ad hanc vitam procreatur, ab alio, qui ad alteram vitam suscitatur, tribus notis distincto, PAULUS opinionem, reditum mortuorum admitti non posse, refellere pergit *argumento ex ipsius corporis natura petendo.* Ergo quonam nomine corpus, quod ad hanc vitam procreatur, ab eo differat, quod suscitatur ad alteram vitam, ostendit scribens: *Σπείρεται σῶμα πνευματικόν*. Sic enim ea, quae supra disputaverat, non contraxit, ut cum MEIIERO, BILLROTHO, OSIANDRO vulgo sumunt Interpretes, sed pondus iis et momentum adiecit. Quaestio maxime est, quid sibi velint Adiectiva *ψυχικόν* et *πνευματικόν*, de quibus Viri Docti inter se discrepant. Minus recte egisse, qui vocabulum *ψυχικόν*, praeeunte LUTHERO, vertendo redderent *naturale*, monuerunt SEMLERUS, BOSVELDIUS, HASIUS, alii. Sine dubio scribendum est *animale.* Hoc autem quomodo explicandum sit, iam apparet ex vs. 45, ubi primus homo factus esse dicitur *εἰς ψυχὴν ζῶσαν*. Minus in censum veniunt Cap. II: 14 et *Iud.* 19, ubi Adiectivo *ψυχικός* non *corpora sectatorum* CHRISTI, sed *homines* notantur a CHRISTO *alieni*, quemadmodum *Iac.* III: 15 *sapientia acerba et litigiosa ψυχική* appellatur. At vel sic tamen ibi significatur illud, quod animalium naturae insitum est, ut nullum alium ducem quam sensuum externorum affectiones sequantur. Hinc enim oritur miseranda hominum conditio, qui pravarum opinionum et cupiditatum se servos faciunt. Hoc autem loco vetat verbum praecedens *σπείρεται*, ne huiusmodi conditionis rationem habeamus. Ergo *σῶμα ψυχικόν* est, *quod vitam vivit animalem,* quae in cibi, potus aliarumque rerum, in sensus cadentium, cernitur usu, ut recte iam monuerunt MELANCHTHONUS, ESTIUS aliique;

vel, ut BENGELIUS ait, corpus, *quod constat carne et sanguine*, quae remotum iri vs. 50 legimus. Adiectivi vero ψυχικόν Substantivique σῶμα cogitatio non permittit, ut GROTIO morem geramus, ubi interpretari iubet: *quod fuit animale*. Sine dubio loquendi usus postulat, ut PAULUM dicentem faciamus: *quod est animale*. Neque alia de causa hinc decessum est, quam ut, verbo σπείρεται explicando *sepelitur*, confirmaretur opinio vulgaris, quae MEIIERUM etiam movit ad scribendum: *corpus est, quod sepelitur, quatenus* ψυχή *ei vivendi principium* ERAT. Iam vero altero membro sic exposito: *Procreatur* (scil. *quum homo hanc in vitam venit*) *corpus, quod vitam vivit animalem*, intelligitur potestas, quam in altero habet Adiectivum πνευματικόν. A PAULI mente certe aberravit CHRYSOSTOMUS, verbis eius subiiciens: τί λέγεις; τοῦτο (corpus huius vitae) δὲ οὐ πνευματικόν; πνευματικὸν μὲν, ἀλλ' ἐκεῖνο (corpus alterius vitae) πολλῷ πλέον. Notam enim Apostolus proposuit, qua utrumque corpus ita distingueretur, ut alterum ψυχικόν, alterum πνευματικόν esset. Deinde, quod haud sine damno negligitur, *corpus cum corpore* comparavit, non vero *hominem cum homine*. Unde quoque apparet, hunc in locum aliena importare, qui Graeca interpretentur: *corpus, quod Spiritus Sancti vi regitur*. Sed propterea hoc iam ferri nequit, quod τὸ πνεῦμα, ubi *Spiritum Sanctum* denotat, τῇ σαρκί quidem oppositum reperimus, τῇ ψυχῇ vero non item. Frustra provocant ad Cap. II: 14, quo in loco, et *hominem* (non vero *corpus*) commemorari supra iam vidimus, et vocabulum ψυχικός, ut docet Cap. III: 1, eodem redit ac σάρκινος. Neque vim argumentandi praebent *Rom.* VII: 14. XV: 27. 1 *Cor.* IX: 11 similesque loci, ubi vocabula πνευματικός et σαρκικός vel σάρκινος sibi mutuo opponuntur. Quod philosophando BILLROTHUS ex PAULI verbis eruere conatus est, OLSHAUSENIUS et MEIIERUS iis

non inesse docuerunt. Praetereo alia, quae, ducibus iam CHRYSOSTOMO, OECUMENIO et THEOPHYLACTO, commenti sunt Interpretes. Si *σῶμα ψυχικόν corpus* denotat, *quod vitam vivit animale*, *σῶμα πνευματικόν* denotare necesse est *corpus*, e regione ei obstans, *quod a mente regitur rationali*, et hactenus, quamquam minus Latine, *spirituale* dici potest. Apostolus autem an sibi *corpus spirituale* ita proposuerit, ut naturam eius omnino perspiceret, cum HEYDENREICHIO et RÜCKERTO valde dubito. Nec tamen existimasse censendus est, apud CHRISTI sectatores, quos beatus maneat in vitam reditus, *τὸ πνεῦμα* locum *τῆς ψυχῆς* occupaturum esse. Si enim appellatione *σώματος ψυχικοῦ corpus* non significavit *illo carens*, credibile non est, eum appellatione *σώματος πνευματικοῦ corpus* significasse, *quod hac careat*.

Quod sequitur hoc in versu: *ἔστι σῶμα ψυχικόν, καὶ ἔστι σῶμα πνευματικόν* haud pauci Interpretes et Editores dubiae fidei esse censuerunt, vel loco suo omnino moverunt, uti ERASMUS, MILLIUS, SEMLERUS, MORUS, GÜRLITTUS. Neque hoc sine causa, siquidem illud Veterum quibusdam incognitum fuisse videtur [1]) formamque habet annotationis, ab uno alterove librario verbis praecedentibus adscriptae, ne quis inde offensionem caperet. Eo autem sublato nihil damni patitur orationis perpetuitas; quare a PETERSENIO in Parenthesi positum est. Rursus vero plerorumque testium veterum auctoritate nititur. Et haud levis coniectura est, illud in libris aliquot omissum esse, quod vel propter *ὁμοιοτέλευτα* oculos fugeret, vel praecedenti minus accommodatum iudicaretur. Eadem autem opinio, nisi fallor, multis Veterum hanc fraudem fecit, ut, pro forma Thetica Hypotheticam substituentes, scriberent: *Εἰ ἔστι σῶμα*

---

[1]) Cf. REICHIUS, *Codicum aliquot gr. N. T. Par. nova descriptio* cet. p. 51, 52.

ψυχικὸν, ἔστι καὶ cet. Quod ediderunt HARWOODUS, LACHMANNUS, TISCHENDORFIUS et probarunt RÜCKERTUS, MEYERUS, KLINGIUS [1]). Sed Receptum testimonio quoque suo *Syrus* valde confirmat. Deinde forma pro eo substituta, ut etiam vidit WETTIUS, manum prodit correctoris. At sensum tamen eodem redire, sive legamus ἔστι σῶμα cet. seu εἰ ἔστι σῶμα cet. post alios OSIANDER bene monuit. Illa enim aeque atque haec a bis usurpato verbo ἔστι Emphasin accipiunt (cf. *Rom.* III: 11, 12.) et, nisi in Apodosi vocabulum σῶμα deleri debet, explicanda sunt: *uti corpus est animale, ita corpus est spirituale*, ut posterius huius sententiae membrum super prius gravitate emineat. Sic, nempe, scripsit PAULUS, ne quis forte appellationem *corporis spiritualis* minus haberet cogitatam. Quodammodo conveniunt verba καὶ σώματα ἐπουράνια, καὶ σώματα ἐπίγεια vs. 40, quorum comparatione tamen abutuntur, qui hoc loco cum GROTIO, PALMIO aliisque Singulare σῶμα pro Plurali σώματα sumi iubent. Apostolus enim non amplius generatim dicit, qualia in rerum natura sint corpora, sed sigillatim, quale sit *corpus humanum*, quod nobis cogitando fingere possimus. HEYDENREICHIUM autem aliosque, qui alteri ἔστι Praesentis, alteri Futuri notionem tribuunt, refellere nihil attinet.

Vers. 45.

Praecedenti sententiae PAULUS, secundum Editionem Receptam, adiecit: Οὕτω καὶ γέγραπται· Ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, Ἀδὰμ, εἰς ψυχὴν ζῶσαν· ὁ ἔ-

[1]) *Studiën und Kritiken*. Ann. 1839. p. 509.

σχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. Levioris ponderis sunt testimonia librorum, in quibus unum alterumque verbum omissum vel mutatum est. Omnium fere consensu Apostolus usu formulae οὕτω καὶ γέγραπται ad *Gen.* II: 7 provocavit. Ibi vero apud Interpretem Al. tantum legimus: ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν, quibus conveniunt Hebraea: ויהי האדם לנפש חיה. Ergo alteri membro, si PAULUS more suo interpretem illum secutus est, inserta sunt verba πρῶτος et Ἀδὰμ, alterum apud MOSEM frustra quaeritur. Difficultatem inde exortam non attigisse virum, qualis GROTIUS esset, haud secus miror, quam Veteres nihil, quantum novi, tentasse, quo eam oratione corrigenda tollerent. Quod CHRYSOSTOMUS, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS voluerunt, PAULUM oraculo Divino addidisse, quod ex rerum peteret eventu, nomini eius minus honorificum ipsumque in quaestione est. Coniectura, deperditum Veteris Testamenti locum hîc reperiri, nullo plane argumento nititur. Haud magis se tueri potest opinio, cuius se patronum HASIUS etiam praestitit, Apostolum *Rabbinorum* vel libri *Apocryphi* verba excitasse. Quidquid enim tanquam simile afferri solet, valde dissimile est et multo recentioris temporis. Deinde PAULUS, quamvis Traditionem Iudaeorum plus semel in rem suam convertit, nusquam tamen, ad alium librum, quam Canonicum provocavit, nec verbo γέγραπται usus est, nisi certum huiusmodi libri spectabat locum. Hinc sequitur quoque, cum BRIËTIO difficultatem tolli non posse verbis οὕτω καὶ γέγραπται explicandis: *secundum Literas Sacras.* Nec reprehendere licet RÜCKERTUM, BILLROTHUM ceterosque Interpretes, quotquot posteriora: ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν haud secus ac priora: ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, Ἀδὰμ, εἰς ψυχὴν ζῶσαν ad verbum γέγραπται referunt. Nihil aliud enim utrorumque, quum

sine ulla Particula ab eodem verbo ἐγένετο pendeant, arctissimus fert nexus. Tum a nemine disputatio in contrariam partem facta est, quin ingenii sui commentis orationem oneraret, vel sumeret certe quod probari nequit. Recentissimum audiamus Interpretem, OSIANDRUM. Hic formulam οὕτω καὶ γέγραπται a vulgari γέγραπται γάρ ita differre monet, ut liberiorem Veteris Testamenti usum ostendat. Tum PAULUM verba ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν praecedentibus ἐγένετο ὁ (πρῶτος) ἄνθρωπος (Ἀδὰμ) εἰς ψυχὴν ζῶσαν adscripsisse contendit, quod haec ipsa ita comparata essent, ut vitae melioris monstrarent auctorem aliquando venturum. Haec vero Allegorica vel Typica interpretatio scriptori Geneseos mentem obtrudit, cuius nullum plane vestigium in eius oratione cernitur, quum ne vocabula quidem πρῶτος et Ἀδάμ a scriptore illo profecta sint, sed ipsi PAULO debeantur [1]). Argumentum, quod ex citandi formula οὕτω καὶ γέγραπται cogitur, ut nihil praesidii habet in notione Particularum οὕτω καί, sic etiam probari nequit ex usu huius formulae, quae nusquam apud hunc exstat Apostolum. Unde si quis ansam caperet coniectandi, hunc versum spurium vel certe corruptum esse, non valde profecto mirarer. Utinam, quod mihi in mentem venit, Verbo γέγραπται hinc expulso, circumiecta οὕτω καὶ ἐγένετο connectenda esse, librorum veterum auctoritate fulcire et PAULUM illud, quod vs. 44. legimus, *rebus ipsis confirmantem* facere possem. Sed eorum consensus omnino vetare videtur, ne huiusmodi coniectura nodum expedire conemur. Nec talia sunt, quae ab Apostolo Veteri Testamento tribuuntur, ut credibile sit, memoriam ei in iis excitandis fraudem fecisse. Solatium

---

[1]) Locos, ubi similiter Interpretatio Alex. a PAULO aliisque Novi Testamenti scriptoribus mutata est, recenset HORNIUS, *An Introduct. to the Critical study and Knowledge of the Holy Scriptures.* Ed. 8. Vol. II. Part. 1. p. 330, 331.

en aliquod inde oritur, quod vs. 45 adeo sibi constat, ut il decedat argumentationi huius capitis, etiamsi etiam in- ctum relinquamus. Atque hoc quidem FLATTUM aliosque novit ad eum in Parenthesi ponendum. Ceterum verba explicanda videntur: *quocum convenit, quod in libro Mosis scriptum est*: ADAMUS, *hominum primus, ita factus est, ut animal vivus esset; postremus* ADAMUS, *ut spiritus esset, qui vitam daret*: Hoc autem quum inserviat ad confirmandam distinctionem *corporis animalis et spiritualis*, res ipsa loquitur, Substantivum πνεῦμα eodem modo interpretandum esse atque Adiectivum πνευματικόν [1]). Ergo, si praecedentia bene intellexi, postremus ADAMUS appellatur *spiritus*, quatenus principium animale in eo subiectum fuit principio rationali, quod tamen quomodo cohaereat cum sequenti ζωοποιοῦν, mihi perspectum non est. Sed obscuritatem sententiae auctoris Interpretum iam prodit disputatio, a WETTIO quoque memorata, quonam tempore CHRISTUS factus sit πνεῦμα ζωοποιοῦν. Nec tamen de eo multum dubitari posse puto, si oculi convertuntur ad vs. 47 sqq. ubi ab altero homine distinguitur alter, quatenus fuit (ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Quidquid vero huius rei est, Activum ζωοποιοῦν, Neutro ζῶσαν oppositum, eandem sibi postulare videtur interpretationem ac vs. 22 verbum ζωοποιηθήσονται. Ceterum CHRISTUM, non hominem in vitam revocatum, ut HARDUINUS, IEHNIUS aliique opinati sunt, τὸν ἔσχατον Ἀδάμ esse, cum plerisque monuerunt MEIERUS, WETTIUS, OSIANDER, PAULUM eadem comparatione ADAMI et CHRISTI usum esse osten dentes ac *Rom.* V: 12 sqq. 1 *Cor.* XV: 21, 22, 4 sqq. Hoc tamen ubi MOSHEMIUS, MICHAËLIS et qui e

---

1) Hinc sequitur etiam intelligi non posse *naturam Divinae* bene monuit Doct. VAN DER BOON MESCH in *Spec. Herm.* in IX: 14. p. 47, 48.

sequuntur, ex Iudaeorum Theologia petitum volunt, BOSVELDIO assentior, eos sumere quod probari nequit nisi ex Iudaeorum recentioris aetatis libris. Cur autem CHRISTUS ab Apostolo dictus sit ὁ ἔσχατος, non vero, uti vs. 47, ὁ δεύτερος, minus liquet, etiamsi appellationis causam cum CALVINO aliisque in postrema generis humani instauratione quaeramus.

Vers. 46.

Quaestionem sibi fingens, ad quam respondendum sit, PAULUS disputationem suam sic persequitur: Ἀλλ' οὐ πρῶτον τὸ πνευματικὸν, ἀλλὰ τὸ ψυχικὸν, ἔπειτα τὸ πνευματικόν. Plerique Interpretes, duce THEOPHYLACTO, vocabulis πνευματικόν et ψυχικόν cogitando adiici iubent σῶμα, ex vs. 44 petitum. Quod nuperrime OSIANDER tueri conatus est, *corporis* rationem vs. 47 haberi aiens. Sed, uti infra videbimus, minus ab eo intellecta esse, quae vs. 47 leguntur, sic interpretationi vulgari omnino obstat necessitas praecedentia vs. 45 transiliendi. Rectius igitur RÜCKERTUS, MEIJERUS, BILLROTHUS, WETTIUS, PALMIUS etiam τὸ πνευματικόν et τὸ ψυχικόν Adiectiva esse monuerunt pro Substantivis posita ad *illud, quod spirituale* et *illud, quod animale est*, generatim denotandum. Praeiit iam CHRYSOSTOMUS, cuius iudicio PAULUS ostendit, ὅτι ἐπὶ τὸ βέλτιον ἀεὶ τὰ ἡμέτερα πρόεισιν, ἅμα κἀντεῦθεν πιστούμενος τὸν λόγον. Εἰ γὰρ τὰ ἐλάττονα ἐξέβη, πολλῷ μᾶλλον τὰ βελτίω προσδοκᾷν χρή. Sed quod unanimi consensu dicunt Interpretes, verbum ἐστί huic orationi deesse, haud scio equidem, an minus exploratum sit. Indicium eius vs. 45 certe non exstat, nec repeti potest ex vs. 44, ubi ἔστι aliam ha-

notionem, quam huic loco congrua est. Et quum rcumiecta (vs. 45 et 47) tempus spectent praeteritum, odem, ne hiet oratio, referendum videtur, quod hoc loco legimus. Argumento quoque est Adverbium ἔπειτα, si aeque ac vs. 6, 7, 23 temporis diversitatem significat. Ergo PAULUS sine ullo Verbo eventa antiquioris et recentioris memoriae conscripsit, ac si una in tabella repraesentarentur. Nihil similius, quam quod exstat *Rom.* V: 15: *Ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα* [1]). Atque sic etiam vs. 47, 48, ubi eadem tanquam tabella ante oculos est, verba intelligere licet, quae rebus propositis conveniunt. Si autem vs. 46 omnia ad tempus praeteritum referimus, ,mens PAULI est: *sed non praecessit illud, quod spirituale est, sed quod animale est; tum secutum est illud, quod spirituale est* [2]). Qua sententia obviam ivit iis, qui rogaturi erant, cur postremus ADAMUS nuper demum venisset neque a rerum humanarum incunabulis εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν exstitisset. Et sic quoque lectoribus suis adspectabile fecit, hanc vitam animalem praecedere debere, ut quis tandem particeps fiat vitae spiritualis.

Vers. 47.

Unde factum sit, ut illud, quod animale est, pe[…] ADAMUM praecederet, quod spirituale est, per CHRISTU[…] sequeretur, PAULUS nunc ostendere vult ad utrumqu[…]

---

[1]) De inteligendo verbo ἦν vide GLASS. Tom. I. p. 349, […] MATTH. Tom. II. p. 770, 771. item BOS, *Ellips. Gr. Ed.* SCHAE[…] p. 603 sqq. Sed exempla, ibi e N. T. petita, nullius numeri […] Hoc loco ex vs. 45 repeti posset Verbum ἐγένετο, nisi illud ib[…] nexum esset cum formulis εἰς ψυχὴν ζῶσαν et εἰς πνεῦμα ζωοπ[…]

[2]) Similiter BAURUS p. 604, qui hactenus igitur mecum co[…] videtur.

hominem redeundo. In Editione Recepta legimus: Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς, χοϊκός· ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Nullo argumento nititur coniectura KOENII, a WASSENBERGHIO memorata [1]), Adiectivum χοϊκός ab aliena manu profectum esse. Nec maioris ponderis est, quod SEMLERO in mentem venit, PAULUM in posteriori membro tantum scripsisse: ὁ δεύτερος ἐξ οὐρανοῦ. Pauca quoque sunt et minus gravia testimonia librorum, qui cum Vulgato Latino orationi adiiciunt οὐράνιος vel ὁ οὐράνιος. At hoc propterea iam imperitorum hominum prodit inventum, quod verba ἐξ οὐρανοῦ οὐράνιος ita explicari nequeunt, ut superioribus ἐκ γῆς χοϊκός bene respondeant. Non intelligo igitur, quomodo huius mutationis patroni sententiam suam probare potuerint ERASMO et GURLITTO. Sed cum viris illis multi de vocabulis ὁ Κύριος consenserunt, quum fidem eorum vel prorsus negarent, vel in dubium certe vocarent, ut nuper BILLROTHUS, MEIIERUS, WETTIUS, OSIANDER. Et sane inter testes veteres, quorum in libris ea frustra quaeruntur, haud pauci magnae auctoritatis sunt. Omissio tamen eorum ex orationis difficultate liberandae studio oriri potuit. Nec fingi posse videtur causa, cur probabile sit, ea orationi inserta esse. Si enim ex vero narravit TERTULLIANUS [2]), MARCIONEM pro vocabulo ἄνθρωπος substituisse ὁ Κύριος, vix aut ne vix quidem credibile est, mutationi, ab illo Haereticorum principe profectae, hanc fortunam obtigisse, ut iam brevi post reciperetur a *Syro*, tum a CHRYSOSTOMO aliisque interpretibus Graecis, qui ad posteritatem propagarunt, quod in Editione Recepta legitur. Non miror igitur, BENGELIUM, FLATTUM, OLSHAUSENIUM ab ea discedere noluisse. Equidem vero hac in causa haereo.

---

1) *Diss. de Glossis N. T.* praemissa *Select. e scholis* VALCKEN. p. 67.

2) *Adv. Marcion.* Lib. V. cap. 10.

Oratio sic bipartita est, ut praecedenti vs. 46 conveniat. Ergo hîc non scripsit auctor ἔσχατος, ut supra vs. 45, sed δεύτερος, quod Particulae ἔπειτα respondet. Utriusque membri Subiecta ὁ πρῶτος ἄνθρωπος et ὁ δεύτερος ἄνθρωπος nulla difficultate laborant. PAULUS sine temporum notatione ante oculos proponere pergit, quae antiquioris et recentioris memoriae sunt. An res propositae postulent, ut, cum FLATTO aliisque priori membro cogitando adiiciamus *erat*, posteriori *est*, videbimus infra. Gravissima nunc agitur quaestio, quomodo accipienda sint postrema ἐξ οὐρανοῦ.

Plerique igitur verba ἐξ οὐρανοῦ *coelestem* CHRISTI *originem* denotare putarunt. Alii ea cum THEODORETO ad *reditum* CHRISTI, glorioso corpore induti, *ex coelo* referunt. MORO iudice sibi PAULUS *singularem plane et omni humana majorem excellentiam* proposuit. Similiter GROTIUS, CRELLIUS, GERDESIUS, MOSHEMIUS, minus *originem*, quam *dignitatem*, sive *corporis* CHRISTI, seu *ipsius* CHRISTI spectari contenderunt. Nonnulli, quibus OSIANDER assentiri non recusavit, utramque comprehendi statuerunt. Equidem vero optionem faciendam esse arbitror, nisi verbis duplicem tribuere velimus notionem. Et utrum utri praeferendum sit, luculenter apparere puto ex oratione contexta. Nam vss. 48 et 49 ipse auctor formulam ἐξ οὐρανοῦ interpretatur appellatione τοῦ ἐπουρανίου, qua *coelestem* minus *originem*, quam *dignitatem* significari videbimus. Eandem autem significationem haec formula habet *Luc.* XI: 13. XX: 4, 5, etiam in utroque loco Epistolarum PAULI, ubi exstat, nempe 2 *Cor.* V: 2. *Gal.* I: 8. Neque hoc mirabitur, qui meminerit, frequentem hunc Praepositionis ἐκ cum Genitivo esse usum, ut inserviat ad *qualitatem* denotandam, sive in laude, sive in vituperatione sit. Cff. *Act.* V: 38, 39. 2 *Cor.* IV: 7. *Gal.* III: 7. *Col.* IV: 11.

Et huius generis exempla, ut satis cognitum est, pariter ex locis peti possunt, ubi Articulus legitur et non legitur [1]). Sed formulae ἐξ οὐρανοῦ et ἐκ τοῦ οὐρανοῦ tamen sic distinguendae videntur, ut altera *id, quod coeleste est*, significet, altera *id, quod ex coelo habet originem*. Cuius distinctionis si dixero causam in eo cerni, quod ὁ οὐρανός nobis *ipsum coelum* vel *regionem ejus* proponat, οὐρανός vero sine Articulo *quod ad coelum pertinet*, a via fortasse non longe aberrabo [2]). Sed quidquid huius rei est, satis, nisi fallor, probavi, PAULUM, quum de CHRISTO verbis ἐξ οὐρανοῦ uteretur, eum *coelestem* maxime appellasse, quod attinet *dignitatem* eius. Hactenus verba illa iam recte interpretatus est OECUMENIUS: *μετάρσιος ὅλος καὶ οὐράνιος, καὶ μηδεμιᾷ τῶν γηϊκῶν κηλῖδι βαρυνόμενος.* Atque sic intelligimus, CHRISTI non *corpus* spectari, quale accepit, postquam ex morte in vitam rediit vel in coelum sublatus est, vel quale aliquando adspectabile faciet, uti MICHAËLIS, MEIIERUS aliique putarunt, sed *personam*, quam adspectabilem iam facere incepit hac in terra, quippe Divina spirans et ad coelestia ducens.

Verba alterius membri ἐκ γῆς χοϊκός, tantum abest, ut interpretationi propositae obstent, ut eam, me iudice, valde corroborent. Quod enim de vocabulo οὐρανός monui, etiam ad γῆν et τὴν γῆν referendum videtur, ut hoc *ipsam terram*, vel *regionem ejus* significet, illud *quod ad terram pertinet*. Cff. *Luc.* II: 14. *Act.* XVII: 24. 1 *Cor.* VIII: 5. *Eph.* III: 15. *Hebr.* XII: 25, quibus in locis etiam Singulare οὐρανός seu Plurale οὐρανοί,

---

[1]) PETERSENIUS, BOSVELDIUS, GURLITTUS provocarunt etiam ad *Ioann.* III: 31. VIII: 23. *Rom.* II: 8. 2 *Cor.* VIII: 7. *Tit.* II: 8. *Hebr.* VII: 12. Cff. WINER. p. 502 et BERNHARD. p. 228 sqq.

[2]) Minus definiunt monita WINERI p. 137, 138. KÜHNERI Tom. II. p. 129. MIDDLETONIS p. 41 sqq. aliorumque, quos consului, Grammaticorum.

vel simile quid exstat [1]). Hoc si verum est, formulam ἐκ γῆς, cuius exemplum in Novo Testamento frustra quaeritur [2]), ad *qualitatem* referre oportebit, ut eam non interpretemur cum MEIIERO, WETTIO, OSIANDRO aliisque *ex terra ortus*, sed *terrenus*, id est, ut habet CALVINUS, *terram sapiens* [3]). Similiter PHILO, ubi ait: *Ἄνθρωπον τὸν ἐκ γῆς λογιστέον εἶναι νοῦν εἰσκρινόμενον σώματι, οὔπω δ' εἰσκεκραμένον* [4]). Nec mihi obiici potest interpretatio Graeca *Gen.* II: 7: *ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς*, quippe quae codicem sequitur Hebraeum, ubi legimus מן־האדמה. Alibi vero (Cap. III: 19) ipse Interpres inter *γῆν* et *τὴν γῆν* interesse docuit, hoc pro Hebraeo האדמה, illud pro עפר scribens.

Iam si primus homo non solum *terrenus* seu *terram sapiens*, sed etiam *χοϊκός* dicitur, quaestio est, quid hoc sibi velit. Adiectivum *χοϊκός*, quod proprie *ex luto compactum* denotat, cum DRUSIO vertendo reddere possumus *pulvereus*. Hoc vero ita explicari debet, ut ADAMUM a CHRISTO distinguat. Atqui distinctio illa negligitur ab Interpretibus, qui, propriam huius vocabuli notionem retinentes, *corporis* tantum *originem* vel *naturam* intelligunt. Hodie enim nemo prudens credet, quod somniarunt nonnulli Veterum, CHRISTUM corpus suum ex coelo attulisse. Ergo nihil aliud superest, quam *personae qualitatem* nobis proponere et figurate interpretari *humilia spirans* seu, uno vocabulo, *humilis*. Quod ad ADAMUM quidem referendum non videtur, quatenus

---

[1]) Quaestio hîc non agitur de locis, ubi vocabulo *γῆ* populi vel regionis nomen adiectum est, uti *Act.* VII: 4, 40. *Hebr.* VIII: 9 *Iud.* 5.

[2]) Ubique legimus *ἐκ τῆς γῆς*, uti *Ioan.* III: 31. XII: 32 al.

[3]) Sic labefactatur etiam BOSVELDII, quamquam ingeniosa, interpretatio: *Primus homo, ut qui est ex terra, est pulvereus.*

[4]) Lib. I *Allegor.* Tom. I. p. 49. Locum integrum descripsit LOESNERUS ad h. l.

comedendo de arbore (*Gen.* III) peccavit, sed quatenus *rerum in sensus cadentium et caducarum appetitionem habuit; quae eum a coelestibus avertebat.* Haud male OECUMENIUS iam scripsit: γήϊνος, καὶ σαρκικὸς, καὶ κάτω φρονῶν. Iam haec duo ἐκ γῆς et χοϊκός, quamvis posterius priori gravius est, adeo inter se congruunt, ut verba ἐξ οὐρανοῦ utrique opponi possint. Si autem praecedentia ὁ Κύριος PAULO debentur, ne sic quidem video, quomodo aliam Antithesin oratio admittat. Scriptores enim Novi Testamenti, ubi hunc honoris titulum CHRISTO tribuunt, rationem habent necessitudinis, quae inter eum intercedit et societatem hominum ei consecratam. Appellatio igitur est *regni Divini Principem* significans, uti IV: 5. VI: 14. XI: 23. XV: 58 coll. VIII: 6 aliisque locis [1]). Haec vero opponi nequit praecedentibus ἐκ γῆς χοϊκός. Quare BILLROTHO largior, non interpretandum esse: *secundus homo (est) Dominus, (est) ex coelo*, sed *secundus homo, (qui est) Dominus* cet. ut verba ὁ Κύριος Appositionem contineant. Cum BILLROTHO consentiunt ESTIUS, CRELLIUS, SLICHTINGIUS, MOSHEMIUS, BOSVELDIUS, WETTIUS, OSIANDER. Et PAULUM hoc loco idem sibi voluisse censendus est ac vs. 45, ubi verbis ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, ad ea explicanda, subiecit Ἀδάμ. Quod enim plerisque cum LUTHERO, CALVINO, BEZA placuit, verba ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ connectenda esse, structuram parit, quae, ne Articuli urgeam desiderium, interpretationem non admittit convenientem praecedentibus ὁ δεύτερος ἄνθρωπος. Praedicato autem ἐξ οὐρανοῦ i. e. *coelestia spirans* si CHRISTUS describitur, qualis hac iam in terra esse incepit, praeteritum hîc coalescit cum praesenti. Ceterum hoc ex versu sic explicato intelligimus, quomodo factum sit,

---

[1]) Cff. quae nuperrime disputavi in *Magazijn voor Kritiek en Exegetiek* cet. Tom. II. p. 17, 18.

ut praecederet, qui esset εἰς ψυχὴν ζῶσαν, sequeretur, qui esset εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, quas formulas hîc spectari WETTIUS aliique bene viderunt. Oratio igitur accrescit, decrescit vero, si ADAMUS tantum *ex terra natus* et *ex pulvere formatus*, CHRISTUS tantum *ex coelo ortus* esse dicitur.

Vers. 48.

Utroque homine ante oculos collocato, nunc tanquam eadem in tabella proponuntur agmina, quae illi ducunt: *Οἷος ὁ χοϊκὸς, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοί, καὶ οἷος ὁ ἐπουράνιος, τοιοῦτοι καὶ οἱ ἐπουράνιοι.* Hoc enim, quamvis formam prodit sententiae, ex vita communi petitae, cum praecedentibus arctissime cohaerere, docent verba ὁ χοϊκὸς et ὁ ἐπουράνιος, neminem alium quam ADAMUM et CHRISTUM spectantia. Appellationi τοῦ χοϊκοῦ, utpote graviori, praecedentia ἐκ γῆς inclusa sunt. Quid vero sibi velint sequentia ὁ ἐπουράνιος, quaestio nunc agitur. Composito ἐπουράνιος alia notio tribuenda non est, quam simplici οὐράνιος, quippe quo solo PAULUS usus est, et quidem tam de aëreis et aetheriis, quam de iis, quae altiora censebantur. Similiter alibi in Novi Testamenti libris, etiam apud exteros, ut STEPHANI *Thesaurus* docet, eo denotatur *quidquid coeleste est.* Quum autem CHRISTUS ab Apostolo *coelestis* appelletur, haud secus Antithesis τοῦ χοϊκοῦ et τοῦ ἐπουρανίου, quam formula praecedens ἐξ οὐρανοῦ, illud cum MEIJERO explicare vetat *ille, qui in coelo est.* Neque cum plerisque vocabulum explicabimus *corpore coelestis*, seu *coelesti corpore instructus*, si loquendi usum observare et simul scopulum evitare cupimus, in quem veteres inciderunt,

quotquot CHRISTO corpus affingebant *e coelo ductum*. Sed PAULUM scribentem ὁ ἐπουράνιος *qualitatem corporis* CHRISTI spectare non potuisse interpretatio verborum τοῦτο δέ φημι cet. (vs. 50) perspicue docebit. Itaque *qualitatem personae* CHRISTI spectavit, et hanc quidem, *ut coelestis esset, qualis iam in terra fuisset*, i. e. *humilia spernens, coelestia appetens*.

Eodem modo Plurale οἱ ἐπουράνιοι ac Singulare ο ἐπουράνιος accipiendum esse, quisque sua sponte intelligit. Hoc autem, ut ex praecedenti et sequenti oratione luculenter apparet, non ad *homines qualescunque* referendum est, sed ad solos CHRISTI *sectatores*. Quod quum commune fere Interpretum sit iudicium, miror plerosque, etiam MEIERUM, WETTIUM, OSIANDRUM, oppositum οἱ χοϊκοί interpretari *omnes* ADAMI *posteri*. Quamvis enim haec appellatio talis est, ut in totam ADAMI quadret prolem, PAULUS tamen, aeque in priori atque in posteriori huius vs. membro, *solos* CHRISTI *sectatores* ante oculos habuit, sibi mutuo, ut RÜCKERTUS bene monuit, non duo hominum genera, sed eosdem opponens, quatenus alio tempore sint χοϊκοί, alio ἐπουράνιοι. *Qualitatis* igitur *internae* ratione habita ostendisse videtur, *eos hac in vita ad humilia expetenda, in altera vita ad coelestia expetenda comparatos esse*.

Vers. 49.

Orationem bipartitam haec itidem bipartita, secundum Editionem Receptam, sequitur: καὶ καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. Ad primam, quae hîc agitur, quaestionem, quid inter utramque intersit, dirimendam in censum non venit distinctio temporum, ab OSIANDRO

aliisque notata, quippe quae in vs. 48 iam latet. Neque cum WETTIO dicere sufficit, PAULUM, quae supra generatim monuisset, nunc ad CHRISTI sectatores applicasse. Sed sumendo ibi *interna* spectari, viam mihi ingressus esse videor omnis difficultatis tollendae. Optime enim cohaeret disputatio, si ab internis ad *externa* procedit. Tantum autem abest, ut huic distinctioni aliquid obstet, ut formula φορεῖν τὴν εἰκόνα eam cum maxime commendet. Verbum φορεῖν quum haud secus *Ioann.* XIX: 5 de *corona spinosa in* IESU *capite*, quam *Matth.* XI: 8. *Rom.* XIII: 4. *Iac.* II: 3 de vestimento et ense usurpatum sit, notionem *ferendi* cum OSIANDRO amplificare non ausim, *consuetudinis* notione ei addenda. Vocabulum εἰκών Cap. XI: 7. 2 *Cor.* III: 18. IV: 4 et ubique similitudinem sive imaginem significat *aliis adspectabilem*, non vero similitudinem quamvis, *sive externa fuerit, sive interna*, ut PETERSENIUS contendit, RAPHELII annotatione ex HERODOTO abusus [1]). Coniunctis igitur ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα *externa* proponitur *patefactio qualitatis internae* supra memoratae. Iam Apostolum propterea in Aoristo scripsisse ἐφορέσαμεν, quod ei tempus ante oculos obversaretur, quo haec vita terrestris finem habitura esset, vulgaris sententia est, etiam a nostro probata Interprete, qui verbum illud reddidit *gedragen hebben*. Equidem, ut valde dubito, an Aoristo, per loquendi usum, vim Perfecti tribuere liceat, ita haud scio, an eo haec vita terrestris comprehendatur omnis, tam Praesens et Futura, quam Praeterita. Similiter, nisi fallor, Aoristus exstat *Matth.* III: 17. XXIII: 2. *Luc.* I: 47. *Rom.* VIII: 29, 30. *Iac.* I: 11 [2]). Hoc autem si ita

---

[1]) Meliora praebet KYPKIUS ad h. l.

[2]) De hoc usu Aoristi apud scriptores exteros commentati sunt HEMSTERH. *ad Lucian. Contempl.* Tom. I. p. 516. SEGAR. ad CLEM. *Alex.* libr. *quis dives salutem consequi possit.* p. 233 aliique. Cff. VIGERUS ibique HERMANN. p. 208 sqq. 746, 747. KÜHNER. Tom. II.

est, sermonis Latini ingenium *continuationem*, quae Aoristo, non ipsi verbo φορεῖν, nec vocabulo εἰκών inest, proponere vetat, nisi orationi aliquid addamus scribendo: *Et sicuti hac in vita ferimus imaginem eius, qui pulvereus fuit.* Hinc sequitur, a via deflectere, quotquot PAULUM cum PELAGIO dicentem faciant: *sicut portavimus veterem hominem ante baptismum.* Et nihil sane ut WETTIUS etiam vidit, ab eius disputatione, quae in vitae Praesentis et Futurae comparatione versatur, longius alienum est, quam pristinae hominum Christianorum conditionis notatio. Neque auctoris menti omnino convenit CHRYSOSTOMI, OECUMENII aliorumque interpretatio: καθὼς φαῦλα ἐπράξαμεν. Sed sine ulla, nisi fallor, aut lapsus ADAMI, aut peccati posterorum eius cogitatione, omnes CHRISTI sectatores *hoc cum parente suo commune habere* scripsit, ut *hac in vita humiles se praestent*, seu *rerum in sensus cadentium et caducarum appetentes.*

His superatis minus negotii facessit alterius membri interpretatio. Nam si Editio Recepta sine vitio est, dubitari nequit, quin Graeca reddenda sint, *feremus etiam imaginem coelestis* i. e. *in altera vita hoc etiam commune cum* CHRISTO *habebimus, ut coelestes nos praestemus,* seu *rerum, non amplius in sensus cadentium et caducarum, sed coelestium appetentes.* Recte post alios BROESIUS [1]) statum huius et melioris vitae moralem inter se comparari vidit. Sed multis in libris Veterum Aoristi Coniunctivus φορέσωμεν legitur, non Futuri Indicativus φορέσομεν. Et cur ille pro hoc substitutus sit, inexplicabile est, nisi sumamus, errorem aut in scribendo, aut in dictando iam pridem commissum et

p. 76. Locorum supra allatorum partem iam excitavit GLASSIUS, *Phil. Sacr.* Tom. I. p. 305, 306, minus recte tamen de iis iudicans. Aliter WINERUS p. 321.

1) *Breede tekstenrol.* p. 240.

postea longe lateque propagatum esse [1]. Gravi igitur reprehensione digni non sunt, qui, duce CHRYSOSTOMO, ab Editione Recepta discedunt, uti LACHMANNUS, [2] aut cum OSIANDRO dubitant, uter genuinus sit. At haud temere tamen Futurum *φορέσομεν* et plerique retinuerunt Editores, et Interpretes fere omnes, quorum partes HEYDENREICHIUS, RÜCKERTUS et WETTIUS defenderunt. Nam, ne dicam, inter testes, qui huic Futuro fidem faciunt, unum alterumque magni ponderis esse, Aoristo admittendo in PAULI ratiocinationem, quae vs. 49 eandem sibi ac vs. 48 Antithesin postulat, hiatum importamus. Deinde adhortatio *feramus etiam imaginem* inesse nequit Apodosi, cuius Protasis a Particula *καὶ* incipit, neque adhortationem habet praecedentem [3]. Sed huiusmodi adhortatio aliena quoque est a disputatione, quae demum vs. 50 concluditur. Neque eam, ut bene vidit WETTIUS, commendat, quod vs. 58 legimus. Itaque Futurum *φορέσομεν* Aoristo *φορέσωμεν* longe praeferendum est.

Vers. 50.

Disputatis nunc PAULUS alia dicendi forma adiicit: *Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται· οὐδὲ ἡ*

---

[1]) Fortasse tamen erroris propagatio etiam debetur perversae interpretationi Futuri *φορέσομεν*, ac si vim *adhortandi* haberet. Huiusmodi certe interpretationi se THEODORETUS opposuit scribens: *τὸ φορέσομεν προῤῥητικῶς, οὐ παραινετικῶς εἴρηκε*, et libros esse, in quibus Aoristus *φορέσωμεν* exstaret, nesciens.

[2]) TISCHENDORFIUS etiam in Ed. I, sed in Ed. II legimus *φορέσομεν*. Similiter MEIIERUS sententiam suam mutavit.

[3]) Huc non spectant loci, ab HARTUNGIO Tom. I. p. 148, 149 allati, in quibus Particula *καί* ipsam adhortationem proxime praecedit. Male

φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. Rectius Editores antiquiores orationem distinxerunt quam TISCHENDORFIUS, qui eam longius a superiori seiunxit, vim formulae τοῦτο δέ φημι et argumentationis seriem minus intelligens. Nec MEIIERUS nexum huius versus et praecedentium assecutus est, Apostolum aiens, ratiocinationem de corporis futuri proprietatibus concludere confirmandis superioribus φορέσομεν τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. WETTIUM autem errasse quoque contendendo, novae disputationis initium vs. 51 exstare, infra, nisi fallor, patebit. Sed itidem Interpretes, quotquot cum OSIANDRO superiora vs. 46—49 ad definiendam *corporum* naturam referrent, perspicere non potuisse puto, quomodo oratio cohaereat. Utique alia mihi ad nexum orationis constituendum ingrediunda videtur via. Postquam, nempe, PAULUS corporis animalis et spiritualis distinctionem comparatione primi et postremi ADAMI commendare inceperat, oratio deinceps eo progrediebatur, ut lectores ad spem erigeret vitae, non amplius terrestria cum ADAMO, sed coelestia cum CHRISTO expetentis seu, ut vs. 49 scriptum est, imaginem CHRISTI referentis. Nunc vero Apostolus, si eius in mentem penetrare mihi contigit, cavere volens, ne quis similitudinem illam etiam in communione *carnis* collocaret *et sanguinis*, quibus CHRISTUS, tam post quam ante suum in vitam reditum, indutus fuerat, ad disputationem de corpore sectatoribus eius destinato rediit negando, illud carnem et sanguinem habere posse.

---

autem BENGELIUS Aoristo φορέσωμεν, quod Futuro praefert, *promissionem* exhiberi contendit. Aoristus certe Coniunctivi vicem Futuri Indicativi non sustinet *Iac.* IV: 13, 15, ubi *adhortationes* circumiectis egregie conveniunt. Et exempla huius Temporum et Modorum permutationis apud Poëtas veteres, quae congessit KÜHNERUS Tom. II. p. 100, 101, si quid valent, nihil aliud probant quam Verba φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα explicari posse: *cogitandum est, nos etiam imaginem laturos esse* vel similiter, quod multum differt a *certa* promissione, quae hîc requiritur.

Hac ipsa autem negatione quaestioni, quale corpus esset spirituale, quod sibi proponeret, plus lucis attulit, quam omni ratiocinatione praecedenti. Sed falsa ut a veris distinguantur, singula utriusque membri verba consideranda sunt.

Incipimus a formula *τοῦτο δέ φημι*, quae *concessionem* denotare nequit, ut BILLROTHUS, OLSHAUSENIUS aliique opinati sunt, sed cum plerisque Interpretibus reddenda est: *Hoc autem aio*, et orationis *continuationem*, non *conclusionem* indicat. PAULUS enim non scripsit *τοῦτο οὖν φημι*. Verba vero *φημί* et *λέγω* tanquam eiusdem potestatis confundunt BEZA, LAUNAEUS aliique, qui Pronomen *τοῦτο* ad praecedentia referunt atque ideo Particulam *ὅτι* explicant *quia* vel *quoniam*. Sed hi comminiscuntur quoque, quod nec membrum posterius *οὐδὲ ἡ φθορὰ* cet. patitur, nec 1 *Cor.* I: 12. 1 *Thess.* IV: 15 ullusve locus, in quo vocabula *τοῦτο* et *ὅτι* copulata sunt; neque oratio denique similis Cap. VII: 29. Ut autem ibi, ita hic etiam sequitur appellatio *ἀδελφοί*, qua PAULUS haud raro usus est ad emollienda, quae praevidebat fore, ut lectoribus minus grata essent. Quemadmodum nempe Iudaei spe ducebantur regni terrestris, *Messiae* adventu constituendi; sic *Corinthii* vel nonnulli eorum, RÜCKERTO etiam iudice, optasse videntur, ut eodem, quod hac in vita habebant, corpore induti vita futura potirentur. Verba *σάρξ καὶ αἷμα* ESTIUS triplicem interpretationem admittere monet, ut vel *actiones pravas* significent, vel *vitam animalem*, vel *homines mortales*. Harum notionum primam IRENAEO placuit et plerisque Ecclesiae Patribus, quos GERDESIUS memoravit et LUTHERUS, STRIGELIUS aliique recentioris aetatis secuti sunt. Sed ad hanc notionem improbandam meminisse sufficit formulam *τοῦτο δέ φημι*, quippe quae praecedere nequit doctrinam omnibus cognitam et acceptam. Praeterea huius no-

tionis auctores coniuncta σάρξ et αἷμα, ut CRELLIUS bene monuit, cum uno σάρξ confuderunt. Nec praetermittendum est, eos, quum ad hominum etiam peccata referrent, quae PAULUS supra vs. 48, 49 scripsit, hac sua interpretatione Tautologiam in orationem importasse. Quod ipsum incurrit quoque in usum formulae τοῦτο δέ φημι, postulantem, ut argumentum nondum occupatum sequatur. Hinc vero luculenter apparet, quam longe ab Apostoli mente etiam absit sententia, eandem hic denotatam esse *vitam animalem*, ac supra vocabulo ψυχικόν. Deinde haec sententia orationi itidem Tautologiam affert, qua misere frigeat. Itaque nihil valet auctoritas CALVINI, COCCEII, WOLFII, MORI, FLATTI, HEYDENREICHII, OSIANDRI aliorumque, qui eam commendarunt. Magis profecto arridet notio *hominum mortalium*, quam THEODORETUS verbis σάρξ καὶ αἷμα iam tribuit, iis adscribens τὴν θνητὴν φύσιν, et quam haud pauci probarunt propterea, quod cum verbis illis sequentia ἡ φθορὰ permutari putabant. Sed ut infra patebit, utrorumque permutationem temere sumi, sic huic interpretationi obstare videtur loquendi usus. Quum nempe formula σάρξ καὶ αἷμα, vel, inverso ordine, αἷμα καὶ σάρξ se quatuor locis, *Matth.* XVI: 17. *Gal.* I: 16. *Eph.* VI: 12. *Hebr.* II: 14, offerat, in tribus eorum nulla ratio *mortis* habetur, neque in quarto ad sensum explicandum *mortis* requiritur cogitatio. In libris igitur Novi Testamenti haec interpretatio omni, quo nitatur, praesidio caret. Haud ignoro, multos esse Viros Doctos, quorum iudicio formula illa pro orationis contextae diversitate vario modo accipienda sit. Et lubens ipse concedo, ubique in eius explicatione circumiecta consideranda esse. At persuasum mihi tamen est, eam talem esse, ut stabilem habeat notionem *carnis et sanguinis*, vel *sanguinis et carnis*, unde nusquam discedere liceat. Ergo ea vel per Metonymiam (*Matth.* XVI: 17.

Gal. I: 16.) *homines, qui carne et sanguine deprimuntur,* vel proprie (*Hebr.* II: 14 *Eph.* VI: 12 [1]) *ipsam carnis et sanguinis materiem* proponit. Sic etiam *Sirach.* XIV: 18 genus humanum γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος appellatur, et apud POLYAENUM hostes dicuntur ἄνθρωποι αἷμα καὶ σάρκα ἔχοντες [2]). Hoc ipsum autem sibi voluisse PAULUM scribentem ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα cet. cum ex eo, quod omnis eius disputatio de *naturali* hominis Christiani in vitam rediturí *qualitate* instituta est, tum ex oppositis ἡ φθορὰ intelligimus. Neque interpretationi illi obstant adiuncta. Proxima βασιλείαν Θεοῦ, quibus in Novo Testamento generatim *regnum Dei* denotatur per CHRISTUM condendum seu conditum, hoc loco, uti 1 *Cor.* VI: 9, 10. *Gal.* V: 21. 2 *Thess.* I: 5. 2 *Tim.* IV: 18, *beatitatem* spectant *alterius vitae,* illius regni cives seu sectatores CHRISTI manentem [3]). Verbum κληρονομεῖν, ubi a *Palaestina,* quam Israëlitae haereditatis iure sortiti sunt, ad hanc beatitatem translatum est, nihil aliud significat, quam *in certam eius possessionem venire.* Studiose autem PAULUS sine Articulo scripsit βασιλείαν Θεοῦ κληρονομεῖν, quoniam

---

[1]) Haud ita pridem discipulis meis probasse mihi videor, verba οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα explicanda esse: *certamen, nobis* CHRISTI sectatoribus *propositum, non certamen est cum sanguine et carne* i. e. athletis *in Palaestra agendum.*

[2]) *Strateg.* Lib. III: Cap. 11 § 1. Locum integrum descripsit BLEEKIUS ad *Hebr.* II: 14. Verba *Sirach.* XVII: 31, quae itidem excitavit, tam corrupta mihi videntur, ut dicere non ausim, utrum ibi notio formulae σὰρξ καὶ αἷμα propria, an figurata sit. Rabbinorum autem loci, quos IAC. CAPELL. ad h. l. LIGHTFOOT. ad *Matth.* XVI: 17 aliique attulerunt, interpretationi supra propositae fidem faciunt. Ceterum brevitatis causa praeterii, formulam σὰρξ καὶ αἷμα *Matth.* XVI: 17 et alibi a nonnullis explicari *homines,* vel *populares* seu *Iudaeos,* quorum alterum VORSTIO, *de Hebr. N. T.* Cap. 4. p. 124 sqq. alterum etiam ABRESCHIO placuit in *Paraphr. et Annot. in Ep. ad Hebr.* ad Cap. II: 14. Neutrum enim plausibile erit, quamdiu formulam illam vi sua genuina prorsus exuere nolimus.

[3]) Cf. CRUCIUS, *de notione τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ in N. T. obvia.*

non ipsam regni Divini beatitatem possidere, sed *eius tantum participes fieri* possumus. Ergo Apostolus docuit, *carnem et sanguinem*, seu *homines hac materie constantes, beatitatis regni Divini participes fieri non posse.* Quod cur vel negaverint, vel contendendo, carnis et sanguinis naturam mutatum iri, enervaverint MELANCHTHONUS, CALVINUS, BEZA, ESTIUS, COCCEIUS, multi alii, causa haud longe quaerenda est. Cum Ecclesiae enim Patribus communem habebant opinionem, *Symbolo Apostolorum* comprobatam, carnem ex sepulcris in vitam revocatum iri. Quid? quod recentiori memoria satis multi, etiam OLSHAUSENIUS et WETTIUS, *carnem* cum *corpore* confundentes, errorem veterem renovarunt. Nec his tamen diebus defuisse, qui meliora sentirent, GRIETHUYSENIUS ostendit [1]). Interpretibus autem ab eo laudatis, praeter MEIJERUM, omnino addi debet GERDESIUS, qui data opera id iam egit, ut probaret, sectatoribus CHRISTI vitam sine carne et sanguine destinatam esse. Praecesserant CRELLIUS, SLICHTINGIUS et, praeter alios Veterum, etiam AUGUSTINUS, alicubi scribens: *caro et sanguis iam non caro et sanguis erit, sed in corpus coeleste mutabitur,* nec sibi tamen constans, quum plus semel figuratam interpretationem propriae praetulerit, vel vulgari aequalium sententiae, *opera carnis* intelligenda esse, calculum adiecerit [2]). Ceterum, quam congruenter nova haec doctrina, *carnem et sanguinem,* seu *homines hac materie constantes, beatitatis regni Divini participes fieri non posse,* subiecta sit verbis: *Hoc autem aio fratres,* exponere nihil attinet. Sed obiter monere lubet eodem tendere, quae Cap. VI: 13 leguntur.

Obliquam orationem, in altero membro, sequitur

---

[1]) L. c. p. 117 sqq.

[2]) Ep. *ad Consent.* Opp. Tom. II. p. 585 sqq. Sermo 362 *de Resurrectione.* T. V. p. 993, 994. Cf. quaest. XX. T. VI. p. 491.

recta, Colo a praecedenti distinguenda [1]). Verba ἡ φθορὰ plerique cum GROTIO interpretantur τὸ φθαρτόν. Et haec sane, si opposita τὴν ἀφθαρσίαν id significant, *in quod nulla cadit corruptio*, nihil aliud significare possunt, quam *id, quod corruptioni obnoxium est.* Abstracta autem PAULUS concretis praetulisse videtur propter praecedentia σὰρξ καὶ αἷμα. Iam vero si bene se habent, quae supra de illis disputavi, res ipsa loquitur, audiendos non esse, qui, ducibus CHRYSOSTOMO, OECUMENIO, THEOPHYLACTO, aliis Veterum, τὴν φθορὰν eodem redire aiant ac τὴν κακίαν seu *malitiam moralem.* Sed hoc ut falsum esse deprehendatur, inspicere sufficit vs. 42, 52—54 animumque attendere ad oppositum ἀφθαρσίαν. Multo magis se commendat interpretatio, quae recentiori memoria plerisque placuit: *id, quod morti obnoxium* seu *cui moriendum est.* At haec quoque probari nequit, quoniam τὸ φθαρτόν et τὸ θνητόν vss. 53 et 54 distinguuntur. Generatim tantum intelligere praestat *id, quod mutationem in deteriorem conditionem, seu depravationem patitur,* atque hinc *id* discernere, *quod nullo modo huiusmodi mutationis seu depravationis capax est,* uti *Rom.* I: 23. 1 *Cor.* IX: 25. 1 *Pet.* I: 23. Hactenus recte Interpres vernaculus scripsit: *De verderfelijkheid beërft de onverderfelijkheid niet.* Iam pro Praesenti κληρονομεῖ libri haud contemnendi, quos LACHMANNUS secutus est, habent Futurum κληρονομήσει. Sed orationis corrigendae causa hoc pro illo substituisse videntur Veteres. Haud sine causa sane Praesens Futuro cum TISCHENDORFIO aliisque editoribus praetulerunt MEIERUS, WETTIUS, OSIANDER. Denotatur autem eo, ut supra plus semel vidimus, *quod certo futurum est.* Una superest quaestio, quomodo posterius huius versus membrum cohaereat cum priori. Quod plerique ad eam cum GROTIO

---

[1]) Cff. Disputat. ad vers. 6.

respondent, alterum altero explicari, perversa verborum nititur interpretatione, quam supra, nisi fallor, refutavi. Equidem rem acu tetigisse puto, qui cum GERDESIO huic loco *Gradationem* inesse monerent. Mihi vero imprimis argumento est Particula οὐδέ. Hac enim Particula in locis observanda, ubi duabus interposita est sententiis vel sententiae partibus, quarum posteriori prior quodammodo amplificatur vel confirmatur, animadvertisse mihi videor, eam ibi ad Gradationem faciendam inservire et vertendo reddendam esse *nec vero*, sermone vernaculo *maar ook niet*. Exempla praebebunt *Act.* XVII: 24, 25. *Rom.* IX: 6 sqq. *Gal.* I: 16, 17. 2 *Thess.* III: 7, 8, ubi Participium ἐργαζόμενοι cum Verbo ἐφάγομεν coniungendum, nec propioribus παρά τινος oppositum est, sed remotiori δωρεάν [1]). Hoc autem si bene animadverti, orationis sensus est: *Nec vero, quidquid in corpore humano corruptioni obnoxium est, particeps fieri potest vitae, nullam corruptionem patientis.* Quae quum sententia sibi constans dictum *generale* contineat, quisque intelligit, praecedentem ea confirmari, non explicari. Tum quoque ex disputatis, si recte se habent, sequitur, versu 51 continuari argumentationem, in posteriori huius versus membro propositam.

Vers. 51.

Secundum Editionem Receptam argumentatio sic

---

1) Non plane eiusdem generis est, quod HARTUNGIUS Tom. I. p. 212. KÜHNERUS Tom. II. p. 443 WINERUS p. 198, 585 et iam SCHLEUSNERUS in *Lex.* v. οὐδέ notarunt, hanc Particulam haud raro explicandam esse *ne quidem*.

postea longe lateque propagatum esse [1]. Gravi igitur reprehensione digni non sunt, qui, duce CHRYSOSTOMO, ab Editione Recepta discedunt, uti LACHMANNUS, [2] aut cum OSIANDRO dubitant, uter genuinus sit. At haud temere tamen Futurum *φορέσομεν* et plerique retinuerunt Editores, et Interpretes fere omnes, quorum partes HEYDENREICHIUS, RÜCKERTUS et WETTIUS defenderunt. Nam, ne dicam, inter testes, qui huic Futuro fidem faciunt, unum alterumque magni ponderis esse, Aoristo admittendo in PAULI ratiocinationem, quae vs. 49 eandem sibi ac vs. 48 Antithesin postulat, hiatum importamus. Deinde adhortatio *feramus etiam imaginem* inesse nequit Apodosi, cuius Protasis a Particula *καὶ* incipit, neque adhortationem habet praecedentem [3]. Sed huiusmodi adhortatio aliena quoque est a disputatione, quae demum vs. 50 concluditur. Neque eam, ut bene vidit WETTIUS, commendat, quod vs. 58 legimus. Itaque Futurum *φορέσομεν* Aoristo *φορέσωμεν* longe praeferendum est.

Vers. 50.

Disputatis nunc PAULUS alia dicendi forma adiicit: *Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται· οὐδὲ ἡ*

---

[1]) Fortasse tamen erroris propagatio etiam debetur perversae interpretationi Futuri *φορέσομεν*, ac si vim *adhortandi* haberet. Huiusmodi certe interpretationi se THEODORETUS opposuit scribens: *τὸ φορέσομεν προῤῥητικῶς, οὐ παραινετικῶς εἴρηκε*, et libros esse, in quibus Aoristus *φορέσωμεν* exstaret, nesciens.

[2]) TISCHENDORFIUS etiam in Ed. I, sed in Ed. II legimus *φορέσομεν*. Similiter MEIJERUS sententiam suam mutavit.

[3]) Huc non spectant loci, ab HARTUNGIO Tom. I. p. 148, 149 allati, in quibus Particula *καί* ipsam adhortationem proxime praecedit. Male

φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. Rectius Editores antiquiores orationem distinxerunt quam TISCHENDORFIUS, qui eam longius a superiori seiunxit, vim formulae τοῦτο δέ φημι et argumentationis seriem minus intelligens. Nec MEIIERUS nexum huius versus et praecedentium assecutus est, Apostolum aiens, ratiocinationem de corporis futuri proprietatibus concludere confirmandis superioribus φορέσομεν τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. WETTIUM autem errasse quoque contendendo, novae disputationis initium vs. 51 exstare, infra, nisi fallor, patebit. Sed itidem Interpretes, quotquot cum OSIANDRO superiora vs. 46—49 ad definiendam *corporum* naturam referrent, perspicere non potuisse puto, quomodo oratio cohaereat. Utique alia mihi ad nexum orationis constituendum ingrediunda videtur via. Postquam, nempe, PAULUS corporis animalis et spiritualis distinctionem comparatione primi et postremi ADAMI commendare inceperat, oratio deinceps eo progrediebatur, ut lectores ad spem erigeret vitae, non amplius terrestria cum ADAMO, sed coelestia cum CHRISTO expetentis seu, ut vs. 49 scriptum est, imaginem CHRISTI referentis. Nunc vero Apostolus, si eius in mentem penetrare mihi contigit, cavere volens, ne quis similitudinem illam etiam in communione *carnis* collocaret *et sanguinis*, quibus CHRISTUS, tam post quam ante suum in vitam reditum, indutus fuerat, ad disputationem de corpore sectatoribus eius destinato rediit negando, illud carnem et sanguinem habere posse.

---

autem BENGELIUS Aoristo φορέσωμεν, quod Futuro praefert, *promissionem* exhiberi contendit. Aoristus certe Coniunctivi vicem Futuri Indicativi non sustinet *Iac.* IV: 13, 15, ubi *adhortationes* circumiectis egregie conveniunt. Et exempla huius Temporum et Modorum permutationis apud Poëtas veteres, quae congessit KÜHNERUS Tom. II. p. 100, 101, si quid valent, nihil aliud probant quam Verba φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα explicari posse: *cogitandum est, nos etiam imaginem laturos esse* vel similiter, quod multum differt a *certa* promissione, quae hîc requiritur.

Hac ipsa autem negatione quaestioni, quale corpus esset spirituale, quod sibi proponeret, plus lucis attulit, quam omni ratiocinatione praecedenti. Sed falsa ut [illegible] distinguantur, singula utriusque membri verba consideranda sunt.

Incipimus a formula τοῦτο δέ φημι, quae concessionem denotare nequit, ut BILLROTHUS, OLSHAUSENIUS aliique opinati sunt, sed cum plerisque Interpretibus reddenda est: *Hoc autem aio*, et orationis *continuationem*, non *conclusionem* indicat. PAULUS enim non scripsit τοῦτο οὖν φημι. Verba vero φημί et λέγω tanquam eiusdem potestatis confundunt BEZA, LAUNAEUS aliique, qui Pronomen τοῦτο ad praecedentia referunt atque ideo Particulam ὅτι explicant *quia* vel *quoniam*. Sed hi comminiscuntur quoque, quod nec membrum posterius οὐδὲ ἡ φθορὰ cet. patitur, nec 1 *Cor.* I: 12. 1 *Thess.* IV: 15 ullusve locus, in quo vocabula τοῦτο et ὅτι copulata sunt, neque oratio denique similis Cap. VII: 29. Ut autem ibi, ita hîc etiam sequitur appellatio ἀδελφοί, qua PAULUS haud raro usus est ad emollienda, quae praevidebat fore, ut lectoribus minus grata essent. Quemadmodum nempe Iudaei spe ducebantur regni terrestris, *Messiae* adventu constituendi; sic *Corinthii* vel nonnulli eorum, RÜCKERTO etiam iudice, optasse videntur, ut eodem, quod hac in vita habebant, corpore induti vita futura potirentur. Verba σάρξ καὶ αἷμα ESTIUS triplicem interpretationem admittere monet, ut vel *actiones pravas* significent, vel *vitam animalem*, vel *homines mortales*. Harum notionum prima IRENAEO placuit et plerisque Ecclesiae Patribus, quos GERDESIUS memoravit et LUTHERUS, STRIGELIUS aliique recentioris aetatis secuti sunt. Sed ad hanc notionem improbandam meminisse sufficit formulam τοῦτο δέ φημι, quippe quae praecedere nequit doctrinam omnibus cognitam et acceptam. Praeterea huius no-

tionis auctores coniuncta σάρξ et αἷμα, ut CRELLIUS bene monuit, cum uno σάρξ confuderunt. Nec praetermittendum est, eos, quum ad hominum etiam peccata referrent, quae PAULUS supra vs. 48, 49 scripsit, hac sua interpretatione Tautologiam in orationem importasse. Quod ipsum incurrit quoque in usum formulae τοῦτο δέ φημι, postulantem, ut argumentum nondum occupatum sequatur. Hinc vero luculenter apparet, quam longe ab Apostoli mente etiam absit sententia, eandem hîc denotatam esse *vitam animalem*, ac supra vocabulo ψυχικόν. Deinde haec sententia orationi itidem Tautologiam affert, qua misere frigeat. Itaque nihil valet auctoritas CALVINI, COCCEII, WOLFII, MORI, FLATTI, HEYDENREICHII, OSIANDRI aliorumque, qui eam commendarunt. Magis profecto arridet notio *hominum mortalium*, quam THEODORETUS verbis σὰρξ καὶ αἷμα iam tribuit, iis adscribens τὴν θνητὴν φύσιν, et quam haud pauci probarunt propterea, quod cum verbis illis sequentia ἡ φθορὰ permutari putabant. Sed ut infra patebit, utrorumque permutationem temere sumi, sic huic interpretationi obstare videtur loquendi usus. Quum nempe formula σὰρξ καὶ αἷμα, vel, inverso ordine, αἷμα καὶ σὰρξ se quatuor locis, *Matth.* XVI: 17. *Gal.* I: 16. *Eph.* VI: 12. *Hebr.* II: 14, offerat, in tribus eorum nulla ratio *mortis* habetur, neque in quarto ad sensum explicandum *mortis* requiritur cogitatio. In libris igitur Novi Testamenti haec interpretatio omni, quo nitatur, praesidio caret. Haud ignoro, multos esse Viros Doctos, quorum iudicio formula illa pro orationis contextae diversitate vario modo accipienda sit. Et lubens ipse concedo, ubique in eius explicatione circumiecta consideranda esse. At persuasum mihi tamen est, eam talem esse, ut stabilem habeat notionem *carnis et sanguinis*, vel *sanguinis et carnis*, unde nusquam discedere liceat. Ergo ea vel per Metonymiam (*Matth.* XVI: 17.

Gal. I: 16.) *homines, qui carne et sanguine deprimuntur,* vel proprie (*Hebr.* II: 14 *Eph.* VI: 12 [1]) *ipsam carnis et sanguinis materiem* proponit. Sic etiam *Sirach.* XIV: 18 genus humanum γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος appellatur, et apud POLYAENUM hostes dicuntur ἄνθρωποι αἷμα καὶ σάρκα ἔχοντες [2]). Hoc ipsum autem sibi voluisse PAULUM scribentem ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα cet. cum ex eo, quod omnis eius disputatio de *naturali* hominis Christiani in vitam redituri *qualitate* instituta est, tum ex oppositis ἡ φθορὰ intelligimus. Neque interpretationi illi obstant adiuncta. Proxima βασιλείαν Θεοῦ, quibus in Novo Testamento generatim *regnum Dei* denotatur per CHRISTUM condendum seu conditum, hoc loco, uti 1 *Cor.* VI: 9, 10. *Gal.* V: 21. 2 *Thess.* I: 5. 2 *Tim.* IV: 18, *beatitatem* spectant *alterius vitae*, illius regni cives seu sectatores CHRISTI manentem [3]). Verbum κληρονομεῖν, ubi a *Palaestina*, quam Israëlitae haereditatis iure sortiti sunt, ad hanc beatitatem translatum est, nihil aliud significat, quam *in certam eius possessionem venire.* Studiose autem PAULUS sine Articulo scripsit βασιλείαν Θεοῦ κληρονομεῖν, quoniam

---

[1]) Haud ita pridem discipulis meis probasse mihi videor, verba οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα explicanda esse: *certamen, nobis* CHRISTI sectatoribus *propositum, non certamen est cum sanguine et carne* i. e. athletis *in Palaestra agendum.*

[2]) *Strateg.* Lib. III: Cap. 11 § 1. Locum integrum descripsit BLEEKIUS ad *Hebr.* II: 14. Verba *Sirach.* XVII: 31, quae itidem excitavit, tam corrupta mihi videntur, ut dicere non ausim, utrum ibi notio formulae σὰρξ καὶ αἷμα propria, an figurata sit. Rabbinorum autem loci, quos IAC. CAPELL. ad h. l. LIGHTFOOT. ad *Matth.* XVI: 17 aliique attulerunt, interpretationi supra propositae fidem faciunt. Ceterum brevitatis causa praeterii, formulam σὰρξ καὶ αἷμα *Matth.* XVI: 17 et alibi a nonnullis explicari *homines*, vel *populares* seu *Iudaeos*, quorum alterum VORSTIO, *de Hebr. N. T.* Cap. 4. p. 124 sqq. alterum etiam ABRESCHIO placuit in *Paraphr. et Annot. in Ep. ad Hebr.* ad Cap. II: 14. Neutrum enim plausibile erit, quamdiu formulam illam vi sua genuina prorsus exuere nolimus.

[3]) Cf. CRUCIUS, *de notione* τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ *in N. T. obvia.*

non ipsam regni Divini beatitatem possidere, sed *eius tantum participes fieri* possumus. Ergo Apostolus docuit, *carnem et sanguinem*, seu *homines hac materie constantes, beatitatis regni Divini participes fieri non posse.* Quod cur vel negaverint, vel contendendo, carnis et sanguinis naturam mutatum iri, enervaverint MELANCHTHONUS, CALVINUS, BEZA, ESTIUS, COCCEIUS, multi alii, causa haud longe quaerenda est. Cum Ecclesiae enim Patribus communem habebant opinionem, *Symbolo Apostolorum* comprobatam, carnem ex sepulcris in vitam revocatum iri. Quid? quod recentiori memoria satis multi, etiam OLSHAUSENIUS et WETTIUS, *carnem* cum *corpore* confundentes, errorem veterem renovarunt. Nec his tamen diebus defuisse, qui meliora sentirent, GRIETRUYSENIUS ostendit [1]). Interpretibus autem ab eo laudatis, praeter MEIIERUM, omnino addi debet GERDESIUS, qui data opera id iam egit, ut probaret, sectatoribus CHRISTI vitam sine carne et sanguine destinatam esse. Praecesserant CRELLIUS, SLICHTINGIUS et, praeter alios Veterum, etiam AUGUSTINUS, alicubi scribens: *caro et sanguis iam non caro et sanguis erit, sed in corpus coeleste mutabitur,* nec sibi tamen constans, quum plus semel figuratam interpretationem propriae praetulerit, vel vulgari aequalium sententiae, *opera carnis* intelligenda esse, calculum adiecerit [2]). Ceterum, quam congruenter nova haec doctrina, *carnem et sanguinem*, seu *homines hac materie constantes, beatitatis regni Divini participes fieri non posse,* subiecta sit verbis: *Hoc autem aio fratres*, exponere nihil attinet. Sed obiter monere lubet eodem tendere, quae Cap. VI: 13 leguntur.

Obliquam orationem, in altero membro, sequitur

---

[1]) L. c. p. 117 sqq.

[2]) Ep. *ad Consent.* Opp. Tom. II. p. 585 sqq. Sermo 362 *de Resurrectione.* T. V. p. 993, 994. Cf. quaest. XX. T. VI. p. 491.

recta. Colo a praecedenti distinguenda[1]. Verba ἡ φθορὰ plerique cum GROTIO interpretantur τὸ φθαρτόν. Et haec sane, si opposita τὴν ἀφθαρσίαν id significant, *in quod nulla cadit corruptio*, nihil aliud significare possunt, quam *id, quod corruptioni obnoxium est*. Abstracta autem PAULUS concretis praetulisse videtur propter praecedentia σὰρξ καὶ αἷμα. Iam vero si bene se habent, quae supra de illis disputavi, res ipsa loquitur, audiendos non esse, qui, ducibus CHRYSOSTOMO, OECUMENIO, THEOPHYLACTO, aliis Veterum, τὴν φθορὰν eodem redire aiant ac τὴν κακίαν seu *malitiam moralem*. Sed hoc ut falsum esse deprehendatur, inspicere sufficit vs. 42, 52—54 animumque attendere ad oppositum ἀφθαρσίαν. Multo magis se commendat interpretatio, quae recentiori memoria plerisque placuit: *id, quod morti obnoxium seu cui moriendum est*. At haec quoque probari nequit, quoniam τὸ φθαρτόν et τὸ θνητόν vss. 53 et 54 distinguuntur. Generatim tantum intelligere praestat *id, quod mutationem in deteriorem conditionem, seu depravationem patitur*, atque hinc *id* discernere, *quod nullo modo huiusmodi mutationis seu depravationis capax est*, uti *Rom.* I: 23. 1 *Cor.* IX: 25. 1 *Pet.* I: 23. Hactenus recte Interpres vernaculus scripsit: *De verderfelijkheid beërft de onverderfelijkheid niet.* Iam pro Praesenti κληρονομεῖ libri haud contemnendi, quos LACHMANNUS secutus est, habent Futurum κληρονομήσει. Sed orationis corrigendae causa hoc pro illo substituisse videntur Veteres. Haud sine causa sane Praesens Futuro cum TISCHENDORFIO aliisque editoribus praetulerunt MEIIERUS, WETTIUS, OSIANDER. Denotatur autem eo, ut supra plus semel vidimus, *quod certo futurum est*. Una superest quaestio, quomodo posterius huius versus membrum cohaereat cum priori. Quod plerique ad eam cum GROTIO

---

[1]) Cff. Disputat. ad vers. 6.

respondent, alterum altero explicari, perversa verborum nititur interpretatione, quam supra, nisi fallor, refutavi. Equidem rem acu tetigisse puto, qui cum GERDESIO huic loco *Gradationem* inesse monerent. Mihi vero imprimis argumento est Particula *οὐδέ*. Hac enim Particula in locis observanda, ubi duabus interposita est sententiis vel sententiae partibus, quarum posteriori prior quodammodo amplificatur vel confirmatur, animadvertisse mihi videor, eam ibi ad Gradationem faciendam inservire et vertendo reddendam esse *nec vero*, sermone vernaculo *maar ook niet*. Exempla praebebunt *Act.* XVII: 24, 25. *Rom.* IX: 6 sqq. *Gal.* I: 16, 17. 2 *Thess.* III: 7, 8, ubi Participium *ἐργαζόμενοι* cum Verbo *ἐφάγομεν* coniungendum, nec propioribus *παρά τινος* oppositum est, sed remotiori *δωρεάν* [1]). Hoc autem si bene animadverti, orationis sensus est: *Nec vero, quidquid in corpore humano corruptioni obnoxium est, particeps fieri potest vitae, nullam corruptionem patientis.* Quae quum sententia sibi constans dictum *generale* contineat, quisque intelligit, praecedentem ea confirmari, non explicari. Tum quoque ex disputatis, si recte se habent, sequitur, versu 51 continuari argumentationem, in posteriori huius versus membro propositam.

Vers. 51.

Secundum Editionem Receptam argumentatio sic

---

1) Non plane eiusdem generis est, quod HARTUNGIUS Tom. I. p. 212. KÜHNERUS Tom. II. p. 443 WINERUS p. 198, 585 et iam SCHLEUSNERUS in *Lex.* v. *οὐδέ* notarunt, hanc Particulam haud raro explicandam esse *ne quidem*.

continuatur: Ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω· πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Quibus verbis PAULUS mutationem, sectatoribus CHRISTI, beatitatem coelestem consecuturis, subeundam et sententia neganti οὐδὲ ἡ φθορὰ cet. indicatam, partim explicare, partim confirmare incipit. GRIESBACHIUS igitur aliique ea longius quam par est a praecedentibus amoverunt. Nexum nobis tanquam manu iam monstrat Particula ἰδοὺ, quippe in huius Apostoli Epistolis minus quidem frequens, sed nusquam alii praemissa orationi, quam quae cum superiori arcte cohaeret, uti *2 Cor.* VI: 2. XII: 14. Hac autem Particula lectores suos excitavit, ut animos ad illud attenderent, quod nunc cum iis communicaturus esset. Et rem attentione perdignam esse, ipsa docent verba subiecta: μυστήριον ὑμῖν λέγω. Vocabulum μυστήριον in libris Graecorum generatim id significat, quod *vulgo incognitum* est, sigillatim *Mysteria*, nemini nisi initiatis reclusa [1]. In libris Novi Testamenti eo proponuntur *arcana hominibus incognita* [2]. Nec refertur tantum ad regnum Dei universum, sed etiam ad singula quaedam huc pertinentia, uti *Rom.* XI: 25, 26, ubi PAULUS sic appellat illud, quod lectoribus suis patefacit, Iudaeis gentibusque exteris eventurum esse. Similiter hoc loco tempus futurum spectatur. Sed haud scio, an in orationem importent, quod ei non inest, qui cum RÜCKERTO PAULUM dicentem faciunt, se effari arcanum *sibi soli cognitum*. Quid? quod ipse iam *Thessalonicensibus* (1 *Thess.* IV: 13 sqq.) elementa tradidit

---

[1]) LOBECK, *Aglaophamus*. Tom. I. p. 84 sqq.

[2]) Similiter vocabulum μυστήριον *arcana Dei* denotat *Job.* XV: 8 ex interpr. THEODOT. *Dan.* II: 18, 19, 27, 29. IV: 6. *Sap. Sal.* II: 22. item in *Testam.* XII. *Patr.* l. c. p. 546. Sed multo frequentius ibi usurpatur ad significanda *hominum arcana*, uti p. 602, 632, 683, 684. Atque ita *Judith.* II: 2. 2 *Macc.* XIII: 21.

eorum, quae hoc loco leguntur. Equidem alium verborum, *Ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω* sensum non esse arbitror, quam huc redeuntem: *Attendite animum: arcanum, quod temporis futuri obtectum est involucro, vobiscum communico.*

Nunc vero sequitur locus, qui nobis indicio est, quantum licentiae Veteres sibi sumserint ad Literas Sacras cum placitis suis in concordiam redigendas. Haud pauci libri, quamquam inter se discrepantes, hactenus tamen contra Editionem Receptam conspirant, ut Particulam negantem *οὐ* in Apodosi habeant. Sed hoc propterea, ut post ESTIUM, MATTHAEUM, BILLROTHUM aliosque bene monuit OSIANDER, ferri nequit, quod eo tollitur nexus, quo vs. 52 cum 51 cohaeret. Deinde, in vocabulis *οὐ πάντες* ita connectendis, ut hoc illud sequatur, Grammaticorum se produnt studia. Ergo GROTIUS audiendus non est, ubi PAULUM scripsisse contendit: *Οἱ πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.* Quod in ceteris exstat libris ab Editione Recepta discedentibus minus testatum est, quam ut considerari mereatur [1]). At gravissimae causae sunt orationis ad huius Editionis normam constituendae. Sic enim Codices sequimur bonos et antiquos, Patrum Graecorum plurimos, Interpretem Syrum, uno verbo plerosque Veterum, penes quos hac in lite aliqua fides est. Praeterea satis perspicuum est, homines olim hunc locum adulterasse, ne PAULUS praedixisse censeretur, quod vel in doctrinam, omnes ADAMI posteros morituros esse, incurreret, vel eventu comprobatum non esset. Fortasse etiam fuerunt, qui ad mutationem faciendam perducerentur opinione, nihil aliud ex verbis exempli sui erui posse, quam sententiam hanc intolerabilem: *Nemo nostrum,*

---

[1]) Memoriae lapsu vel calami vitio factum est, ut OSIANDER in libris etiam Veterum legi scriberet: *Πάντες μὲν ἀναστήσονται, πάντες δὲ οὐκ ἀλλαγήσονται.*

qui nunc vivimus, morietur. Nec temere cum ERASMO, MELANCHTHONE, BEZA, ad id, quod vulgo editum est, tuendum comparabimus effatum simile 1 *Thess.* IV: 15—17. Itaque mirandum non est, recentiori memoria Viros Doctos illud cum MORO defendisse. Unam tantum Particulam *μὲν* nonnulli, uti LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS, hinc expulerunt. Sed nititur ea librorum magnae auctoritatis testimonio, eiusque omissione, quorumdam negligentiae vel malae sedulitati imputanda, series orationis omnino tollitur.

Difficultatem, quam parit Protasis: *πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα*, post Veteres ab OECUMENIO memoratos, ESTIUS aliique amovere conati sunt notione Verbi *κοιμηθησόμεθα* ita premenda, ut PAULUM *Corinthiis* augurantem facerent celerem ex morte in vitam transgressum, a mortis somno distinguendum. Haec vero interpretatio, quum in loquendi incurrat usum, qui etiam vs. 6, 18, 20 cernitur, paucorum tantum plausum tulit. BILLROTHI sententiam, quam commendavit WETTIUS, prius *πάντες*, sequentibus *μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα* tanquam in Parenthesi positis, cum verbo *ἀλλαγησόμεθα* copulandum esse, iure meritoque reprehenderunt MEIIERUS et OSIANDER. Haec enim structura nec convenit recensioni duplicis hominum generis vs. 52, neque accommodata est posteriori *πάντες*, ne illud omnino redundet. Sed argumentis levioribus MEIIERUS utitur ad defendendam sententiam, Protasin cum Apodosi ita coniungi debere, ut Apostolus dicat: *se et Corinthios sibi aequales, usque ad* CHRISTI *reditum, in vita permansuros, sed mutationem subituros esse.* Vocabulum enim *μυστήριον*, ad quod provocat, nihil aliud spectare potest quam illud *ἀλλαγησόμεθα*, de quo uno hac in PAULI disputatione quaestio agitur. Opinionem autem, verba *πάντες οὐ* connectenda et interpretanda esse *nullos* vel *neminem*, non commendat certe quod legimus

Rom. XII: 4: Τὰ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν, et quod explicandum videtur: *Membrorum tantum parti, uti oculis, auribus, pedibus, non vero omnibus, eadem data est functio.* Neque huc tendit id, quod PLAFFUS excitavit ex *Num.* XXIII: 13, ubi BALACUS BILEAMO dicit: *Veni mecum in locum, unde partem tantum Israëlitarum oculis cernas,* πάντας δὲ οὐ μὴ ἴδῃς i. e. *omnes vero neutiquam videas.* MEIIERO tamen concedo, duplicem negationem οὐ μὴ facere, ut locus ille dissimilis orationi PAULI sit. Similia vero sunt, quae *Jos.* XI: 13, secundum Vulgarem Editionem, exstant: πάσας τὰς πόλεις — — οὐκ ἐνέπρησεν Ἰσραήλ, et *Israëlitas non omnes omnino urbes combussisse* tradunt. Atque ita illud *Sirach.* XVII: 30: Οὐ γὰρ δύναται πάντα εἶναι ἐν ἀνθρώποις, quod positum est pro Πάντα γὰρ οὐ δύναται cet., explicari debet: *Pars tantum eorum, quae bona sunt, hominibus obtingere potest,* ut tota docet oratio contexta, a BRETSCHNEIDERO minus intellecta. Uti autem his in locis Particula negans cum Verbo, non vero cum Nomine coniuncta est, sic inde apparet, in PAULI oratione coniungi quoque posse οὐ κοιμηθησόμεθα. Sed neminem amplius hac in re laboraturum esse confido, qui animadverterit, quid inde sequatur, quod vocabulum πάντες *Primam* Pluralis κοιμηθησόμεθα praecedit. Hinc enim intelligimus, illud merum esse Adiectivum, gravitatis tantum causa ceteris praepositum, ut haec vera sit structura οὐ κοιμηθησόμεθα μὲν πάντες. Ergo nihil aliud superest quam Graeca illa vertendo reddere: *omnes quidem mortis somno non succumbemus.* Et nullus mihi restat scrupulus, quominus ea explicem: *Altera quidem pars nostrum ab altera eatenus distinguetur, ut hac in vita permaneat.* Praecessit *Syrus* scribendo ܠܐ ܟܠܢ ܢܕܡܟ, uti *Rom.* IX: 6. X: 16 et alibi interpretatus est. Nec minus evidenter *Arabs Pol.* Adiectivum a Particula seiun-

gens et Verbo postponens: اننا لن نوفد كلنا.
Apostolum autem Prima Pluralis usum esse, quoniam haec scribens spem, antea quoque enunciatam, se hac in terra usque ad CHRISTI adventum superstitem fore, nondum deposuisset, recte post ERASMUM aliosque monuit BOSVELDIUS.

Verbis: πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα i. e. *omnes vero mutabimur*, quorum etiam vera structura est: ἀλλαγησόμεθα δὲ πάντες, quisque sua sponte intelligit, mutationem illam spectari, qua id, quod in homine φθαρτόν est, fiat ἄφθαρτον. Scite THEOPHYLACTUS: Ἀποθνήσκει ἐν αὐτοῖς ἡ φθορὰ, ἀλλαττομένη εἰς ἀφθαρσίαν. De eo tantum inter se discrepant Viri Docti, quomodo haec Apodosis cum Protasi cohaereat. Nonnulli, uti SLICHTINGIUS, EV. SCHMIDIUS, BOSVELDIUS, PALMIUS *omnes* tantum intelligi volunt *hac in vita permansuros*. Sed ad hanc interpretationem tuendam non valent Cap. XIII: 7. XIV: 24, 31 aliique loci, in quibus Adiectivo πᾶς talia adiuncta sunt, ut ad diversa Subiecta vel Praedicata referri debeat. Et ea tantum habet insolentiae, ut valde dubitem, an a Viris Doctis in medium allata esset, nisi difficultatem, quam sibi parere viderentur sequentia καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα, amovere voluissent. Nihil facilitate sua se magis commendat quam sententia plerorumque, quibus RÜCKERTUS, WETTIUS, OSIANDER etiam assentiuntur, vocabulum πάντες explicandum esse *omnes, sive ex hac vita exiverimus, seu in ea permanserimus*. Ceterum iam CALVINUS, ESTIUS aliique veteres animadverterunt, argumentationis caput cerni *in mutatione viventium*, in quam praecipue quadrant adiuncta ἐν ἀτόμῳ cet. Lectores enim huius Epistolae fatigare non potuit quaestio, an mortui, si in vitam redirent, a corruptela liberati forent; sed hoc alienum putarunt ab iis, qui in vita erant permansuri. Nihil autem inepti orationi obtrudet haec interpre-

tatio: *quamvis omnes mortis somno non succumbemus, omnes tamen mutationem subibimus* [1]).

Vers. 52.

Quod supra monui, hunc versum cum praecedente arcte cohaerere, cadat necesse est, si sequi debemus Editionem Receptam, quae alterum ab altero Puncto distinguit, verba *σαλπίσει γάρ* in Parenthesi ponens, ut sic legatur: *Ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι, (σαλπίσει γάρ) καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι, καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα.* Atqui Parenthesin, quamquam eam non aspernantur FLATTUS et HEYDENREICHIUS, hinc alienam esse intelligimus inde, quod ea et circumiectis structuram obtrudit minus usitatam, et orationi animatae languorem iniicit, et ipsa verba *σαλπίσει γὰρ* accipi iubet, ac si, absque Articulo *τῇ*, praecedentia sint *ἐν ἐσχάτῃ σάλπιγγι.* Sublata autem Parenthesi, stare nequit Punctum versui 51 subiectum. Magis se commendat distinctio, quae GRIESBACHIO et SCHOLZIO placuit, ut Punctum in Comma mutetur, rursus vero vocabulo *σάλπιγγι* pro Commate Punctum postponatur. Neque iis tamen cum OLSHAUSENIO assentior, quatenus sequentia *σαλπίσει γὰρ* cet. uncis includunt. Sic enim duo illa *οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι* et *ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα*, quae ad orationis seriem pertinent, ex ea amoventur. Quod probe animadvertisse videntur, qui Parentheseos notas sustulerunt, ut GOESCHENIUS aliique. Praeterea vero haud sine causa LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS pro Puncto, quod GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS vocabulo *σάλπιγγι*

---

[1]) Cf. VIGERUS p. 532 sqq.

subiecerunt, excudendum curarunt Colon; quoniam posterius membrum arctius cum priori cohaeret, quam, ut censendum sit, novam eo sententiam contineri. Sed versui etiam 51 cum MATTHAEO [1]) Colon quam Comma postponere malo. Nec mihi obstat, quod nonnulli contendunt, *μυστήριον* seu arcanum, quod PAULUS patefecit, non in ipsa viventium mutatione cerni, sed in *mutationis celeritate*. Hoc enim falsum esse deprehendetur, si animadverterimus, orationem verbo *ἀλλαγησόμεθα* sine ulla temporis notatione concludi. Apodoseos autem forma vs. 51 ita comparata est, ut haud secus quam Protasis habenda sit absoluta. Nexui igitur illius vers. et sequentis opitulandum videtur intelligenda formula *καὶ τοῦτο* similive, quae in oratione animata plus semel intelligi debet, uti etiam, nisi fallor, *Rom.* II: 16 et VIII: 21 ante verba *ἐν ἡμέρᾳ* et *ἐπ' ἐλπίδι*.

Quae primum exstant *ἐν ἀτόμῳ*, *ἐν ῥιπῇ* (non ῥοπῇ) *ὀφθαλμοῦ* i. e. *in puncto temporis*, *in momento oculi*, subitariam mutationem denotant. Hanc fortasse Apostolus proposuit, quod cavere volebat, ne quis cogitaret, longos gravesque dolores cum mutatione coniunctum iri. Sequentia *ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι* plus negotii facessunt. Satis quidem exploratum est, formulam explicandam esse: *ut ultimae tubae sonitus audietur* [2]). Sed quaestio est, quid sibi velit vocabulum *ἐσχάτῃ*. Nonnulli, quos FLATTUS post longam disputationem secutus est, PAULUM, quum tubam *ultimam* vocaret, ante oculos habuisse putarunt verba *Apoc.* XI: 15: *Καὶ ὁ ἕβδομος ἄγγελος ἐσάλπισε*, quae OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS iam memorarunt. At huic opinioni iure meritoque se multi, etiam MEIJERUS,

---

[1]) Non in *Nov. Test. Graec.* sed in *D. Pauli Ep. I et II ad Corinth. Graec. et Lat.*

[2]) Cff. GLASSIUS l. c. p. 886 sqq. et WINERUS p. 461.

WETTIUS et OSIANDER, opposuerunt, quippe qua temere sumuntur tria, et PAULO cognita fuisse, quae IOANNES inde a Cap. VIII: 2 tanquam in tabella depinxit; et alterum, quum uno tantum vocabulo ἐσχάτῃ uteretur, rationem habere potuisse rei, ab altero designatae imagine, quae *septem Angelos* deinceps tuba clangentes faceret; et utrumque denique Apostolum idem argumentum tractasse. Commentum *Rabbi* AKIBAE, a WETSTENIO allegatum, Deum septies tubae clangorem editurum esse, quum septem rationibus continuis mortuos in vitam reducat, quod alii hîc in censum venire contenderunt, haud minus ab hoc loco quam a mente PAULI alienum est, ut ipsa iam docent verba praecedentia ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Ceterum nequidquam se fatigavit BENGELIUS, triplicem proponens nodi expediendi viam. Minus recte quoque, auctore PELAGIO, qui significari scripsit *novissimum adventum* CHRISTI, ESTIUS, RÜCKERTUS, BILLROTHUS, MEIERUS interpretantur *in tuba ultimi diei*. Haec enim admonitio, si vel eam ex Graecis ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι secundum Grammaticae leges erui posse concedamus, nihil continet aliud, quam quod *Corinthiorum* quisque sua sponte intellexit. Nec postulant sequentia σαλπίσει γάρ, ut a WETTIO et OSIANDRO, qui primariam notionem verborum *in ultima tuba* deserere nolunt, dissentiamus. ULTIMAE autem *tubae* appellatio, uti a Iudaeorum more petita est, sic inde explicanda videtur, quod huius instrumenti clangor, ante conveniendi horam, non semel tantum audiri, sed saepius et vario quidem modo repeti solebat [1]). At ne sic quidem omnino mens patet Apostoli. Si GROTIO assentimur, ante oculos eius fuisse

---

[1]) IOSEPH. *Ant. Iud.* Lib. III cap. 12. § 6. cff. CARPZOV. ad GOODWINI *Mosem et Aäronem.* p. 455 sqq. 670. VITRINGA, *de Synag. Vet.* p. 207 sqq.

oraculum *Zach.* IX: 14, hinc non multum lucrabimur. Nec valde nobis opitulabitur BOSVELDIUS coniiciens, PAULUM ne ipsum probe scivisse, quid *tubae* appellatione sibi vellet. Quid vero? An plausu dignior est aliorum sententia, eum sibi *tubam* proposuisse *proprie ita dictam*? MEIJERO iudice Apostolus huc transtulit, quod Iudaeorum debebat Theologiae, ex *Exod.* XIX: 16 petitae. Certatim autem Interpretes longe plurimi, tam antiquiores quam recentiores, hoc redarguere conati sunt, *figuratam* notionem vocabulo σάλπιγξ vindicantes. Et haec sane notio nec huic loco, nec simili 1 *Thess.* IV: 16 incommoda est, dummodo nobis, THEOPHYLACTO auctore, aliquid proponamus *Divinum, cum tubae humanae clangore comparandum.* Argumenta vero tanti ponderis, ut aut suam interpretationem stabilirent, aut alteram convellerent, Viri Docti non attulerunt. Haec autem praesertim nititur sequentibus σαλπίσει γὰρ, quibus PAULUS ipse indicasse videtur, se *tubam, proprie ita dictam,* intelligi velle [1]. Ergo ad mentem eius maxime accommodatum puto, membrum prius sic explicare: *et mutabimur quidem in puncto temporis, in momento oculi, ut ultimus tubae clangor audietur.* Apostolum vero, quum hunc clangorem memoraret, non attigisse, quod Corinthiis inauditum esset, tam ex Articulo τῇ apparet, quam ex nexu formulae ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι cum praecedentibus ἐν ἀτόμῳ et ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, quibus itidem cognita denotantur. Ceterum cum BOSVELDIO animadvertendum est, ab hac utraque illam differre, quatenus non solum significet temporis brevitatem, sed etiam ad *ipsum tempus definiendum* inserviat.

Verbum σαλπίσει [2]), a quo membrum incipit poste-

---

[1]) Cf. KOCH. l. c. p. 365, 366.

[2]) Magis Graecum esse σαλπίγξει monet PLANCK, *de vera natura atque indole orat. gr. N. T.* p. 35. Cf. LOBECK ad PHRYN. p. 191, 192.

rius, quum Interpretes recentissimi fere omnes vel Impersonaliter accipi, vel explicari vellent intelligendo ὁ Θεός, vel ὁ Κύριος, vel ὁ Ἀρχάγγελος, vel ὁ σαλπίγκτης, longe quaesivisse videntur, quod praesto est. Quidni enim repetatur ἡ σάλπιγξ, uti, quod FLATTUS monstravit, 2 *Chron.* XXIX: 28 legimus σάλπιγγες σαλπίζουσαι? Similiter *Iob.* XXXIX: 24, 25: ἕως ἂν σημάνῃ σάλπιγξ et σάλπιγγος σημαινούσης. Cf. 4 *Esr.* VI: 23. Eadem orationis complendae ratio iam placuit OECUMENIO, LUCAE *Brugensi*, ESTIO omnibusque, quotquot *Vulgatum Latinum* sequebantur. Haec autem σαλπίσει γὰρ (ἡ σάλπιγξ) per Particulam καὶ copulata sunt cum sequentibus, ac si auctor scripsit καὶ τότε [1]). Duo igitur proponuntur continuo eventura. Verbum ἀναστήσονται, quod LACHMANNUS pro recepto ἐγερθήσονται substituit, eidem corrigendi studio debetur, quo oratio vs. 51 corrupta est, nec testimoniis nititur gravitate aequalibus eorum, quae Receptum illud tuentur. Sed sive legitur ἐγερθήσονται, seu ἀναστήσονται, sensus eodem redit. Si praecedentia recte explicata sunt, nullum dubium est, quin PAULUS sibi voluerit: *Simul atque ultimus tubae clangor audiri inceperit, mortui suscitabuntur corruptionis expertes, et nos mutabimur.* Postrema autem καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα non generatim significant, *sectatores* CHRISTI *viventes mutatum iri*, ut plerique, etiam MORUS,

---

1) Lexicographi cum GROTIO aliisque Interpretibus Particulae καί vim suam auferunt ea explicanda Adverbio Latino *tunc*. Aliena quoque de ea, pro more suo, commentus est HAAB, *Hebräisch-Griechische Grammatik.* p. 333. coll. 109 sqq. Et vereor, ut assentiendum sit WINERO p. 512, 513 monenti, eam plus semel pro ὅτε substitutam videri. Sed recte Vir Doctus ex libris Graecorum locos excitat, in quibus ea itidem ad *tempus definiendum* inservit. Cf. HARTUNG. Tom. I. p. 130, 131, 151. Imprimis locorum, ubi temporis notatio Particulam καί praecedit, comparari merentur exempla a BRUDERO, *Concordantiae.* p. 466, collecta, quibus addatur 1 *Cor.* IV: 19. Hoc autem in usu Breviloquentia cernitur sermonibus variorum populorum communis.

GURLITTUS, PETERSENIUS, FLATTUS cum CHRYSOSTOMO aliisque Veterum interpretati sunt. In omnibus enim locis, ubi tertiam sive Pluralis sive Singularis, prima Pluralis sequitur, uti Cap. I: 23. IX: 12, 25. XI: 16. XV: 30, Apostolus Pronomine ἡμεῖς usus est ad *se una cum aliis secum viventibus denotandum.* Neque argumentum in contrariam partem disputandi praebent alii loci, ex Literis Sacris, etiam ex IOSEPHO et PHILONE, a nonnullis excitati. Mirandum igitur non est, BOSVELDIUM, OLSHAUSENIUM, BILLROTHUM et omnes fere interpretes recentioris memoriae probare, quod ERASMUS, CALVINUS, GROTIUS PAULUM praedicentem faciunt: *se mutatum iri cum aequalibus suis, quotquot ad tempus propositum in vita permanserint.* Sed magnus mihi in eo restat scrupulus, quod hac interpretatione verbum ἀλλαγησόμεθα ad partem tantum refertur eorum, quos illud vs. 51 comprehendit [1]). Atque hunc mihi scrupulum neutiquam eximunt, qui cum WETTIO et OSIANDRO sumunt, commemorationem alterius partis inesse praecedentibus: *καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι.* Haec enim non comparata sunt ad enunciandam sententiam, *inter aequales* PAULI *fore, qui mutarentur, postquam morti succubuissent.* Deinde non intelligo, cur auctor, ad id, quod praecedenti ἀλλαγησόμεθα inest, explicandum, confirmandum vel amplificandum, a prima Pluralis ad tertiam transierit, et hoc ipso transitu Antithesin fecerit, qua Pronomen ἡμεῖς sequenti ἀλλαγησόμεθα praemittere cogeretur. At recte se omnino habet oratio, si CHRISTI sectatoribus fato iam functis se suosque aequales, quotquot nunc vivebant, opposuit. Hinc enim fit, ut, et vocabulis *οἱ νεκροί*, quemadmodum vs. 29, 35, 42,

---

1) Hunc scrupulum WINERO quoque molestiam creasse, intelligimus ex monitis eius p. 640.

sui notio *qui mortui sunt* tribuatur, non aliena *qui mortui erunt* affingatur; et Pronomen ἡμεῖς, ad homines viventes a mortuis illis distinguendos, suo loco stare deprehendatur; et verbo denique ἀλλαγησόμεθα hic aeque ac vs. 51 dicatur *mutabimur, sive hac ex vita exierimus, seu in ea permanserimus*. Quid? quod huic interpretationi pondus adiicit sententia multorum supra commendata, argumentationis caput in PAULI eiusque aequalium mutatione cerni. Ergo tam consilii, quam verborum eius rationem, nisi fallor, habebimus posteriori huius versus membro sic explicando: *audito ultimo tubae clangore, sicut sectatores* CHRISTI, *qui fato iam functi sunt, ex morte suscitabuntur, corruptionis expertes, sic nos etiam, qui nunc vivimus, mutabimur, sive antea hac ex vita exierimus, seu ad tempus illud hac in vita permanserimus.*

Vers. 53.

Spem lectoribus suis factam PAULUS nunc argumento ex rei necessitate petito sic confirmat: Δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν. Ad verbum δεῖ explicandum COCCEIUS aliique multo plura commenti sunt, quam Apostolo in mentem venire potuerant. Significatur id, *quod ipsius rei fert ratio decreto Dei constituta*, quemadmodum vs. 25, ubi hoc verbum ceteris itidem gravitatis causa praepositum est. Ibi autem, quum de CHRISTO agatur iam regnante, sequitur Praesens βασιλεύειν, hoc loco, ubi memoratur, quod suo tempore fieri debet, Aoristus ἐνδύσασθαι, uti *Matth.* XXIV: 6. *Luc.* XXIV: 7. *Act.* XIV: 22.

2 *Cor.* V: 10 [1]). Si quis rogat, cur Aoristus hic legatur Medii, non Passivi, responderi quidem potest, hanc formam minus usitatam fuisse, nec tamen alteram alterius in locum substituta est; sed ita scripsit auctor, quoniam imagine utebatur, quae actionem non excludebat Reciprocam. Imago, nempe, a *vestimento*, quo quis induitur, petita est, ut loci docent a VALCKENARIO aliisque allati, etiam *Luc.* XXIV: 49. 2 *Cor.* V: 2, 3, ubi similiter Aoristus Medii exstat. Qui vero ea aut intimam coniunctionem, aut externam formam indicari putant, rationem habere negligunt vocabulorum τὸ φθαρτὸν et τὸ θνητὸν, ad quae Verbum ἐνδύσασθαι haud secus quam ad Pronomen τοῦτο referri debet. Ergo oratio sic explicanda videtur: *Necesse enim est, hoc corruptioni obnoxium et mortale ita mutari, ut corruptionis expers et immortale fiat.* Pronomen autem *hoc* non *totum hominem* designat, ut cum CRELLIO opinatus est BOSVELDIUS; sed PAULUS eo δεικτικῶς usus est, et quidem ad *corpus* suum, tanquam digito, monstrandum. Eandem monstrandi vim Pronomen τοῦτο habet Cap. X: 28. XI: 24. 2 *Cor.* XIII: 9 multisque in locis, quos excitare nihil attinet. Atque hinc intelligitur, a via aberrasse, quotquot hanc orationem ita distinguerent, ut prius membrum ad remotiora: οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι; posterius ad propiora: ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα referrent. Quum enim in utroque membro Apostolus lectorum oculos ad *corpus suum* adverterit, res ipsa loquitur, eum in priori aeque atque in posteriori mutationem proposuisse, *sibi suisque aequalibus destinatam.* Quod censuerunt etiam plerique interpretes, OECUMENIUM sequentes, cuius verba sunt: Ἡρμήνευσε, τί βούλεται ἡ ἐναλλαγή. Recte quoque cum CHRYSO-

---

[1]) Haud scio, an argutius sit monitum KÜHNERI Tom. II p. 80 cum MEIJERO et OSIANDRO huc referre, ut Aoristo significetur id, quod temporis puncto factum erit.

stolo haud pauci hinc argumentum ceperunt probandi, eadem corpora, quae hac in terra habeamus, in vitam reditura esse. Quae autem CRELLIUS aliique huic opponunt sententiae, nullius ponderis sunt.

Vers. 54.

Animum commotum prodit repetitio praecedentium hac in Protasi: Ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν. Verba τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν, una cum Particula καὶ, nonnulli Veterum, etiam *Vulgatus Lat.* omiserunt, sive oculorum errore decepti, seu opinione ducti, haec minus quam sequentia: τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν convenire Apodosi, *solam mortem* memoranti. Cur alii Traiectionem fecerint, explicare nequeo; nisi caussa in eo cernitur, quod Traiectio illa originem cepit a scriptore, qui, se nonnulla omisisse animadvertens, haec iam descriptis subiicere, quam vitium alio modo corrigere malebat. Quidquid huius rei est, Editio Recepta, de cuius probitate hodie Viri Docti inter se consentiunt, testimoniis nititur fide dignissimis. Itaque sic PAULUS totam disputationem superiorem concludere incipit: *Quando autem hoc corpus corruptioni obnoxium et mortale ita mutatum erit, ut corruptionis expers et immortale factum sit.*

Hanc Protasin excipit Apodosis, triumphantium gaudia iam expromens: τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος· κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Priora verba haud male iam ORIGENES [1]) interpretatus est: Τότε

[1]) *Contra Celsum.* Lib. V. Cap. 19. Tom. I. p. 591, 592.

ενήσεται τὸ πάλαι — — προειρημένον. Vocabulum tum λόγος effatum seu oraculum significare, et hoc in versu docent ei subiecta, et loci similes *Ioann.* XII: 38. *Rom.* IX: 9 aliique, etiam *Ioann.* XV: 25, ubi legimus ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ. Ibi autem praecedit formula frequentata ἵνα πληρωθῇ, hîc vero verbum γενήσεται, quod quum vocabulo λόγος minus conveniat, CALVINUS, ESTIUS, SLICHTINGIUS, item MEIIERUS, WETTIUS, OSIANDER illud interpretantur *effectum sortietur* vel similiter. Fortasse tamen usitatam verbi notionem retinere et orationem explicare praestat: *Tunc fiet id, quod effato Literarum Sacrarum dictum est*, ut Metonymia ei insit Continentis pro Contento. Eadem Metonymia exstat alibi, uti *Matth.* XXI: 24. XXIV: 35. *Act.* VIII 21, etiam *Luc.* II: 15. *Act.* X: 37, ubi verbum γίνεσθαι cum vocabulo ῥῆμα compositum est. Itaque hactenus audiendi esse videntur, qui cum GROTIO monent, Graecum λόγος rem aeque atque Hebraeum דבר, in Hellenistarum libris *ipsam* denotare. Sed simul tenere debemus, ut BILLROTHUS etiam bene vidit, hanc notionum permutationem tantum exstare, ubi *res* memoretur *verbis indicata* vel *proposita*. Oraculi descripti auctorem fuisse HOSEAM, nonnulli, uti OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS, propterea sumserunt, quod sequentia: Ποῦ σου, θάνατε cet. ex huius viri vaticinationibus excitata sunt. Sed, ut ipse PAULUS *Rom.* III: 10 sqq. IX: 25 sq. 32 sq. ostendit, sibi non insolitam esse conglutinationem eorum, quae diversis locis Veteris Testamenti legisset; sic sine dubio hîc usus est effato *Ies.* XXV: 8, ab Interprete quidem Alex. quem plerumque sequebatur, haud temere defle-ctens, siquidem Graeca κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσ[as] sensu carent, nisi ea cum MELANCHTHONE explicare v[eli]mus: *antea devoraverat homines mors praevalens seu* [*vi*]*ctrix*; nec tamen Hebraea, quod commune cum eo ha

THEODOTION, omnino recte reddens. Verbum enim בלע non respondet Passivo κατεπόθη, sed Activo κατέπιε, quocum si coniungimus sequentia τὸν θάνατον, respondentia Hebraeo המות, sensus est: *absorpsit* vel *devoravit mortem*, scil. *Deus*, qui intelligendus est, ut ex vs. 7 apparet. Eandem quoque interpretationem verbum בלע sibi postulat Cap. III: 12. XIX: 3. XLIX: 19 [1]). PAULUS autem scribendo κατεπόθη ὁ θάνατος sibi voluit: *absorpta* vel *devorata mors est*, et, si figuratam orationem in propriam convertimus, *e medio sublata*. Iam vero *morte* non *miseriam* significari, ut MOSHEMIUS putavit, sed *ademtionem vitae*, evidenter docet Adiectivum praecedens θνητὸν et omne, quod vss. 55, 56 sequitur. Sed quum in tota PAULI disputatione *causa* tantum agatur *sectatorum* CHRISTI, frustra post alios OLSHAUSENIUS doctrinam, omnia tandem in integrum restitutum iri, hoc quoque loco probare studuit. Verbis εἰς νῖκος, quae hîc aeque apud AQUILAM atque apud THEODOTIONEM leguntur, Interpres etiam Alex. 2 *Sam.* II: 26. *Iob.* XXXVI: 7. *Ierem.* III: 5 et alibi pro Hebraeo לנצח usus est. Sed hoc vocabulum plus semel quoque interpretatus est εἰς τέλος, et εἰς τὸν αἰῶνα, uti *Psalm.* IX: 5, 18. XLVIII: 9. *Ies.* XIII: 20. XXVIII: 28. An inde cogere liceat, quod LUDOVICO CAPPELLO, WOLFIO, aliis placuit, formulam εἰς νῖκος apud Hellenistas eandem notionem atque hanc utramque habuisse, examinare nunc nihil attinet. Nonnulli certe cum CHRYSOSTOMO putarunt, PAULUM ea dicere voluisse εἰς τέλος *ad finem usque*: multo plures, GROTIUS, SLICHTINGIUS, MOSHEMIUS, MICHAËLIS, PETERSENIUS, FLATTUS, HEYDENREICHIUS, GURLITTUS, MORUS, BOSVELDIUS, eam explicandam esse contenderunt *in perpetuum* vel *in aeternum*. Rectissime vero post alios OSIANDER sequentia hîc intercedere monet,

---

1) Huc etiam tendunt *Rabbinorum* loci, a WETSTENIO excitati.

ne vocabulo νῖκος, quod recentiores Graeci pro antiquo νίκη usurparunt, aliena notio tribuatur. Non solum enim *victoriae* cogitatio fecit, ut auctor vs. 55. HOSTEAE oraculum ad rem suam converteret, sed orationem etiam vs. 57 conclusit *victoria* laudanda. Quomodo autem formula *ad victoriam*, pro qua cum *Vulgata Lat.* PELAGIUS aliique Veteres perperam scripserunt *in victoria*, praecedentibus *absorpta* vel *devorata mors est* accommodata sit, Viri Docti disputarunt. Quod haud paucis, etiam BILLROTHO, MEIIERO, WETTIO visum est, eam ἐκβατικῶς explicandam esse: *ita ut victoria reportata sit*, valde dubito, an tali in breviloquentia ferat loquendi usus. Nec sine causa OSIANDER hoc cum gravitate verbi κατεπόθη minus congruere iudicavit. Ille vero quum nodum solvere conaretur sumendo, vocabulo νῖκος haud secus quam praecedenti θάνατος Prosopopoeïam inesse, qua *mors devorata* dicatur *a victoria, cuius tanquam leonis in fauces inciderit*, Prosopopoiïam finxit nec locis dissimilibus *Ies.* XXXI: 4. XXXVIII: 13. *Hos.* V: 14. *Apoc.* V: 5 commendatam, nec sequentibus vss. 55, 57 congruam, et quae ferri tantum posset, si legeretur ὑπὸ τοῦ νίκους. Cf. 2 *Cor.* V: 4. Summo igitur iure MEIIERUS ei contradixit. Mitto nunc eos, qui, formulam εἰς νῖκος pro Periphrasi Adverbii habentes, vim eius extenuant. Utique ea aliam, me iudice, non admittit interpretationem quam *ad victoriam* sc. CHRISTI sectatoribus dandam. Quod si explicamus: *ut postremo hoste superato, plena iis Divinitus contingat victoria*, ratio habetur eorum, quae vs. 26 scripta sunt, et nihil plane reprehendendum esse videtur. Eodem autem similive modo post Praepositionem εἰς Breviloquentiae succurrendum est *Rom.* I: 16. 1 *Cor.* XIV: 22. 2 *Cor.* II: 16 al. Ceterum haud inficior, quod cum MELANCHTHONE nonnulli monuerunt, inter ipsius oraculi sensum reapse non multum interesse, sive formulam εἰς νῖκος Latine

reddamus *in aeternum* vel *ad finem usque*, seu *ad victoriam*. Ipsam vero illam victoriam de morte reportandam, cuius spem PAULUS lectoribus suis facit, IESAIAE ante oculos fuisse, ut post alios voluit OSIANDER, sententia est in vatis antiqui orationem incurrens, quippe cuius argumentum non ad futuram vitam hominum proborum pertinet, sed ad rempublicam Hebraeorum his in terris. Itaque populo suo, ut sequentia hoc in versu et omnia circumiecta docent, praedixit pacem illam aetatis aureae tam plenam et perpetuam, ut nulli amplius bello sanguinisque effusioni locus pateat. Haud dissimiliter per Allegoriam et Hyperbolen *Ies.* II: 4. XXVI: 19. LXV: 20, 22. *Mich.* IV: 3. *Zach.* IX: 10 al. laetissima tempora annunciantur. Hoc autem oraculum PAULUS pro more sibi usitato ad rem suam accommodavit, ut cum CALVINO, GROTIO multisque antiquiorum viderunt HEYDENREICHIUS, FLATTUS aliique.

Vers. 55.

Sectatorum CHRISTI triumphum Apostolus, secundum Editionem Receptam, sic praedicare pergit: *Ποῦ σου, Θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, Ἅδη, τὸ νῖκος;* Vocabula *κέντρον* et *νῖκος* multi Veterum sic traiecerunt, ut hoc illi praeponerent. Quod BEZA probavit, orationem mutatam esse putans propter vs. 56, ubi *τὸ κέντρον morti*, non vero *inferis* tribuitur. Contra haud pauci cum WETTIO mutationem ortam esse arbitrantur ex imitatione Interpretis Alex. *Hos.* XIII: 14, cuius verba sunt *Ποῦ ἡ δίκη σου, Θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, Ἅδη;* sed cur tandem

librarii et interpretes omnem utriusque loci non sustulerunt dissimilitudinem, si alterum ex altero corrigere volebant? Id igitur potius egisse videntur, ut prius huius versus membrum ad posterius praecedentis: κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος conformarent. Quidquid vero huius rei est, vocabulis κέντρον et νῖκος ita traiiciendis, ut hoc illi praeponatur, orationis progressio valde impeditur. Alia quaestio est, an in posteriori membro, expulso vocabulo ᾍδη, repetere debeamus Θάνατε, quod a LACHMANNO et TISCHENDORFIO factum et a MEIIERO et WETTIO (non a RÜCKERTO) probatum est. Et suis sane testimoniis hoc commendant Codices melioris notae, Versiones nonnullae et haud pauci Patres, maxime Latini, quibus adiungendum est *Euangelium* NICODEMI [1]). Recte quidem OSIANDER haec testimonia tam gravia non esse animadvertit, ut pro Recepto ᾍδη substituere cogant Θάνατε. Recte itidem vidit, hoc facile in libros irrepere potuisse ex illius interpretatione margini adiecta, quae etiam OLSHAUSENII coniectura est. Quod vero monet, foecundo PAULI ingenio magis accommodatum esse vocabulum ᾍδη, quam repetitum Θάνατε, valde dubito, an satis valeat ad quaestionem dirimendam. Sed salvo loquendi usu, nisi omnia me fallant, repetitio eiusdem Θάνατε intolerabilis est. Quum enim Pronomen σου bis ita positum sit, ut Emphasis quaedam ei inesse deprehendatur, persuasum mihi est, illud bis post se habere non posse idem Nomen, sed in posteriori membro aliud ei subiiciendum esse, quam in priori. Itaque vocabulum ᾍδη omnino retinendum videtur.

Iam nonnulli cum IEHNIO et KRAUSIO negantes, PAULUM haec verba ab HOSEA mutuatum esse, id agnoscere noluerunt, quod luculenter ipsa orationis testatur si-

---

1) Cap. 21 apud FABR. *Cod Apocr.* N. T. Tom. I. p. 283.

militudo. Summatim eodem et Graeca redeunt. Interpretis Al. supra descripta, et Hebraea:

אהי דבריך מות

אהי קטבך שאול

quae interpretanda sunt:

Ubinam pestes tuae, Mors?

Ubinam exitium tuum, Orce [1]*?*

Haud pauci adeo, etiam WETTIUS et OSIANDER, contendunt, Apostolum verba illa excitasse, ut vatem Divinum loquentem induceret. Quod defendere conantur provocando, cum ad locos, in quibus PAULUS plura ex Veteri Testamento congessit, tum ad vs. 56, quippe oraculo excitato subiunctum, ut disputatio de eo instituatur. Atqui oratio vs. 56 ita comparata est, ut in ea haud magis vestigia cernantur auctoris, qui de alienis disputavit, quam qui de suis argumentatus est. Neque in censum veniunt exempla locorum, in quibus plura ex Veteri Testamento congesta sunt, cuiusmodi est *Rom.* XI: 8, ubi IESAIAE MOSISque verbis praecedit formula utraque comprehendens: *καθὼς γέγραπται*, non vero talis, qualis hîc legitur: *Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος.* Nimirum Singulare ὁ λόγος se tantum effert in locis, ubi *unum* Veteris Testamenti *oraculum* commemoratur, *Ioann.* XII: 38. XV: 25. *Rom.* IX: 9, quum ipsa appellatio, ut ad vs. 54 vidimus, *effatum* seu *oraculum* significet. Hoc igitur Singulari stabilitur sententia CALVINI aliorumque, quos recentiori memoria MEIJERUS etiam secutus est, PAULUM HOSEAE *verba suam in orationem convertisse.* Atque haec sententia multum commendationis inde accipit, quod Apostolus saepe, etiam Cap. II: 16. V: 13. X: 26, verba Veteris Te-

[1]) Cff. PALMIUS et HITZIGIUS ad h. l. qui recte ex vs. 10 argumentum petit refellendi sententiam, Hebraeum אהי a Verbo היה derivandum et interpretandum esse *ero.* Quod quum HIERONYMO placuerat, multi secuti sunt, etiam ROSENMULLERUS in *Schol.* ad h. l.

stamenti, sine eius commemoratione, ad suam orationem accommodavit. Ea autem probata, non aliter fieri poterit, quin probetur itidem CALVINI aliorumque iudicium, eandem non fuisse Apostoli ac Vatis Hebraei mentem. HOSEA, nempe, Deum induxit indignantem, quod Israëlitarum, quorum agmen ducebant Ephraïmitae, pervicacia impediretur, quominus eos ex miseria sua eriperet, ut dici posset: *Ubinam tuae pestes, Mors? ubinam tuum exitium, Orce?* Apostolus vero haec verba quodammodo mutavit iisque, misso eorum sensu genuino, usus est ad maiorem victoriam, quae sectatoribus CHRISTI parata erat, praedicandam. Sed ut omnino pateat, quid ille sibi voluerit, unum alterumque sigillatim explicandum est.

Vocabulo *κέντρον* nonnulli *stimulum* significari contendunt, *quo, uti boves ab aratore, sic homines a morte impelluntur.* Hactenus fere inter se consentiunt SCHOETTGENIUS, PETERSENIUS, PALMIUS, MEBIUS, BILLROTHIUS. Nec sine causa provocant ad *Prov.* XXVI: 3. *Sirach.* XXXVIII: 25. *Act.* XXVI: 14[1]). Sed, uti nullum hic se prodit comparationis illius vestigium, sic in orationem PAULI incurrit negatio, mortem habere stimulum, quo homines ad sepulcrum pellat. Mirandum igitur non est, recentissimos Interpretes, MEIERUM, WETTIUM, OSIANDRUM, de eo inter se convenisse, ut, spreta hac sententia, vocabulo *κέντρον* significari monerent *instrumentum interimens, quali animalia utuntur veneno suo mortem afferentia, uti scorpio.* Hoc autem simili Apostolum sibi velle aiunt, *interimendi vim morti ablatam esse.* Quod plerisque etiam placuit, sive eandem imaginem auctori ante oculos fuisse putabant, ut iam OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS, seu aliam. Hoc vero ferri non posse viderunt, nisi sic demum gloriaturos esse sumerent mortuos in vi-

---

[1]) Cf. WETSTEN. ad h. l. ubi plura.

tam revocatos. Vana enim et inanis iactatio est, hac iam in vita vim interimendi ablatam esse morti, quippe cui quotidie alii post alios succumbimus. Itaque eodem redit, quod illi PAULO tribuunt, atque interpretatio ORELLII: „Hactenus quidem visa es, o Mors, habere aculeum, quo nos pungeres laederesque ac denique conficeres; sed nunc tibi ille penitus ademtus est, utut maxime velis laedere, non potes." Sed, ut infra me probaturum spero, temere ad tempus futurum referri gloriationem ab Apostolo editam, sic plura huic interpretationi obstant argumenta. Verbo memorare sufficit, non satis comprobatum videri, quod nonnulli naturae scrutatores de mortifera scorpionis vi narrarunt; ipsosque Veteres de eo inter se non consensisse [1]). Huic opinioni certe non favet *Apoc.* IX: 10, ubi legimus de locustis: *καὶ ἔχουσιν οὐρὰς ὁμοίας σκορπίοις, καὶ κέντρα ἦν ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν· καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἀδικῆσαι τοὺς ἀνθρώπους μῆνας πέντε*; vel, ut ad aliorum librorum fidem TISCHENDORFIUS edidit: *καὶ — σκορπίοις καὶ κέντρα, καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἀδικῆσαι* cet. Ibi enim *vulnera* non proponi *letalia*, tam ex postremis huius sententiae verbis apparet, quam ex praecedentibus vs. 3—6, ubi locustae, itidem cum scorpionibus comparatae, homines adeo cruciaturae dicuntur, ut sibi mortem frustra exoptent. Quemadmodum autem IOANNES vocabulo *κέντρον instrumentum pungens* significat, non vero *interimens*, sic eandem

[1]) Hoc suum iudicium mecum communicavit Collega, harum rerum peritissimus, I. VAN DER HOEVEN, excitans etiam WALCKENARIUM, vel potius GERVAISIUM, *Histoire natur. des Insectes Aptères.* Tom. III. p. 26 sqq. ubi ARISTOTELIS, PLINII aliorumque testimonia exhibentur; item LUCAM, *Diction. univ. d' Histoire naturelle.* Tom. XI. p. 451. Apud BOCHARTUM, *Hieroz.* Part. II. Lib. IV. Cap. 29. p. 637 sqq. in aliis locis necandi, in aliis tantum vulnerandi vel pungendi vis scorpioni tribuitur.

notionem expressisse videtur Interpres Alex. *Hos.* V: 12, ubi ταραχή et κέντρον sibi mutuo respondent. Ex ceteris vero Veteris Novique Testamenti locis, in quibus vocabulum illud exstat, nihil peti potest, quo in contrariam partem disputetur. Nec tale quid suppeditat collatio Graeci κέντρον cum Hebraeo ἅπαξ λεγομένῳ קֹטֶב *Hos.* XIII: 14, quippe cuius affine קֶטֶב Interpretes *Deut.* XXXII: 24. *Psalm.* XCI: 6. *Ies.* XXVIII: 2 aliter reddiderunt. Ergo PAULUM quoque eodem κέντρον nihil amplius quam *instrumentum pungens* denotasse crediderim. Et Graecorum libri huius notionis satis multa praebent exempla. Sic apud ARISTOPHANEM de *senibus* legimus:

Ἔχουσι γὰρ καὶ κέντρον ἐκ τῆς ὀσφύος
Ὀξύτατον, ᾧ κεντοῦσι [1]).

Similiter apud LUCIANUM de *Oratore*, ad imitationem eius, quod EUPOLIS de PERICLE dixit: Ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι [2]). Utroque in loco Graecum convenit Latino *aculeus*, quo CICERO etiam de PERICLE usus est [3]). Ita plus semel PLATO, ut hac in comparatione: ὥσπερ μέλιττα, τὸ κέντρον ἐγκαταλιπών [4]). Quare nihil aliud superesse videtur, quam ut Graecum κέντρον Latino *aculeus*, Vernaculo *angel* reddamus, et *aculeum* quidem intelligamus, *quo mors homines pungit eorumque animis terrorem incutit*, quod quodammodo etiam suggessit KRAUSIUS [5]). Vocabulo ᾅδη nec *sepulcrum*, nec *tartarum* seu *locum damnatorum*, quorum alterum BEZAE, alterum BULLINGERO placuit, sed *receptaculum mortuorum*, seu *Orcum* significari, ho-

[1]) *Vesp.* vs. 225, 226.

[2]) *Nigr.* Cap. 7.

[3]) *De Orat.* Lib. III. Cap. 34.

[4]) *Phaedr.* p. 91 C.

[5]) Nemo facile assentietur BOSVELDIO aut SEMLERO, quorum alter Vocabulum κέντρον interpretatus est *hasta* vel *lancea*, alter *gladius*.

die contestata res est. Propterea ὁ Θάνατός et ὁ Ἅιδης non solum coniunguntur *Apoc.* I: 18. VI: 8. XX: 13, 14, sed memorantur etiam πύλαι ᾅδου *Ies.* XXXVIII: 8. *Sap. Sal.* XVI: 13. *Matth.* XVI: 18. Gradatio autem orationis in eo cernitur, quod in priori membro aculeus morti ablatus, in posteriori victoria orco, in quem Veteres congeri putarunt homines a morte confectos, adempta esse dicitur. Cetera, quae ad utrumque Θάνατος et Ἅιδης distinguendum THEOPHYLACTUS, BENGELIUS aliique in medium attulerunt, SEMLERUS haud sine causa reprehendit. Animadvertendum restat, hanc gloriationem non *ad vitam futuram*, uti, praeeunte CHRYSOSTOMO, Interpretes, etiam MEIERUS, WETTIUS et OSIANDER, putant, sed *ad vitam praesentem* pertinere. Ad vitam, nempe, futuram oratio referri nequit, nisi ei audacter cogitando adiiciatur aliud quid, quam verbum ἐστί, quod ipsam vitam praesentem intelligi iubet, et nexus tollatur, qui inter hunc vs. et duos sequentes intercedit. PAULUS igitur, nisi mens eius me fugit, ab immortalitate sectatoribus CHRISTI in vitam revocatis, IESAIAE oraculo, praedicanda transit ad laetos animi sensus, quos spes illa hac iam in vita excitat, HOSEAE maxime verbis enunciandos. Grande autem et sublime est, quod ex pectoris ardore effatur. Splendidissima eodem confluunt orationis lumina, quae efficacitatem habent in animos: Interrogatio, Exclamatio, Prosopopoeia, Apostrophe [1]). Sensum vero quod attinet, ille huc redit: *Nihil amplius habes, Mors, quo nobis sectatoribus* CHRISTI *aculeo tuo terrorem incutias: nihil amplius habes, Orce, quo nos sectatores* CHRISTI *tibi teneas subiectos.*

---

[1]) Huc pertinet etiam *Anaphora*, qua repetitur Particula ποῦ, uti 1 *Cor.* I: 20. 2 *Reg.* XIX: 13. *Hom.* Iliad. N. vs. 769 sqq. *Anthol. Gr.* Lib. I, p. 147. Ed: Francof. 1600, quam excitavit PALAIRETUS.

Vers. 56.

Vix edita est vox triumphalis, quum succurrat Apostolo, quod animum eius deprimit. Hoc igitur confitetur scribendo: *Τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία, ἡ δὲ δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος,* quod, per Particulam δὲ, priori orationis animatae parti opponit. Recte MEIERUS, WETTIUS et OSIANDER sententiam improbarunt OLSHAUSENII, iam ab antiquioribus interpretibus in medium allatam, eodem redire notionem vocabulorum κέντρον et δύναμις, ut mens auctoris fuerit: *Peccatum vim dormitantem mortis excitare, rursusque legem vim dormitantem peccati.* Inde tamen non sequitur, prioris membri sensum esse: *Peccatum morti aculeum dat, quo nos homines conficiamur;* vel, ut GURLITTUS, BOSVELDIUS, HEYDENREICHIUS post STRIGELIUM multosque alios interpretati sunt: *Peccatum est causa mortis.* Negare quidem nolo, Apostolo nunc ante oculos fuisse doctrinam, *Rom.* V: 12. VI: 23 propositam, *peccati mercedem esse mortem;* sed in eo non cernitur argumentum vocabuli κέντρον explicandi *instrumentum interimens.* Immo, si recte se habent, quae disputavi supra, explicandum etiam hoc loco est *instrumentum pungens,* seu *quod animis terrorem incutit.* Quid? quod, secundum vulgarem interpretationem, PAULUS, nisi fallor, sibi ipse contradicit, hoc loco de morte aiens, quod supra negavit. Itaque verba hoc sibi velle videntur: *Peccatum vero aculeus ille est, quo mors animos pungat iisque terrorem incutiat, quod non mors efficit ipsa.* Vocabulo ἁμαρτία non denotari in Concreto peccata, quae ab hominibus singulis committuntur, sed in Abstracto Peccatum, cuius, quisque suo modo, participes sunt, apparet ex usu Singularis cum praecedenti Articulo. Ita *Rom.* V: 12, 20, 21. VI: 1, 2 al.

In posteriori membro PAULUS pondus adiicit confessioni suae in priori. Postrema ὁ νόμος applicari quidem possunt ad *legem unicuique latam*, haud excepta *lege naturae*, sed Apostolo lex illa fuit *lex Mosaica*, uti Cap. IX: 8. XIV: 34. Cur vero ea ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας dicatur, ita disputant Interpretes, ut duas in partes dividantur. OSIANDER, utramque sententiam coniungens, id denotari putat, quo Peccatum *vim* accipiat, *et se in homine explicandi ac propagandi, et hominem perdendi atque interimendi*. Sed ne contra primariam interpretandi regulam huic formulae duplex sensus tribuatur, unius alteriusve interpretationis optio facienda videtur. Atqui si *vis* intelligitur *se in homine explicandi ac propagandi*, provocari quidem potest ad *Rom.* VII: 7—11 [1]), sed formula ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος consideratur, tanquam absolute posita, nexusque utriusque membri infringitur. Si vero *vim* denotari volumus *hominem perdendi atque interimendi*, non solum recidimus in errorem eorum, qui τὸ κέντρον et τὴν δύναμιν eodem redire sumunt, sed vocabulo κέντρον etiam notionem affingimus iam supra refutatam. Hi autem scopuli demum evitantur, si τὴν δύναμιν explicamus *vim, quam habet peccatum, faciendi, ut mors animis terrorem incutere possit*. Eandem notionem generalem alibi habet hoc vocabulum, si Genitivus cum eo coniunctus est, uti Cap. XIV: 11. 2 *Cor.* XII: 9. *Phil.* III: 10. 2 *Tim.* III: 5. Ergo sensum huius membri esse puto: *Peccatum vero vim id efficiendi, ut mors animis terrorem incutiat, accipit a lege.* Quamquam autem RÜCKERTO largior, PAULUM priori membro posterius tristis suae experientiae causa adiecisse; vera tamen haec argumentatio est, peccatum vim habere mortem terribilem faciendi, quod, legis iudicio, peccatum esse deprehenda-

---

[1]) Ita etiam USTERIUS p. 44. Cf. BAURUS. l. c. p. 529, 530.

tur. Hactenus valet illud: *Ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου,* quod *Rom.* V: 13 legimus et iam comparavit THEODORETUS.

Vers. 57.

PAULUM vs. 56 rationem habuisse vidimus remotiorum: *Ποῦ σου, Θάνατε, τὸ κέντρον*: nunc propiorum: *ποῦ σου, Ἅιδη, τὸ νῖκος* rationem habens, sic pergit: *Τῷ δὲ Θεῷ χάρις, τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Quibus verbis animum depressum denuo erigit, id, quod Deo debetur, opponens ei, quod fieri monuit culpa hominum. Neque hanc Antithesin, quam etiam notavit MELANCHTHON, enervat praecedens commemoratio legis, quae ipsa quidem Divina est et Divinitus agit, si animo, peccati conscientia onerato, metum mortis iniicit, sed ita non ageret, nisi hominem peccati convinceret et damnaret. Vulgo Interpretes *legis* non *originem,* aut *naturam* spectari aiunt, quatenus *ὁ νόμος Rom.* VII: 12 merito *ἅγιος* appellatur, sed *abusum,* qui, ut ibid vs. 7 sqq. legimus, ex prava hominis cupiditate oritur. Orationis quod attinet formam, recte cum ea post alios WETTIUS comparavit similem ibid. vs. 25, ubi sequendi videntur LACHMANNUS, TISCHENDORFIUS et RÜCKERTUS, Editionem Receptam sic emendantes: *Χάρις τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Κυρίου ἡμῶν.* Quemadmodum autem illic Apostoli mentem esse puto: *Per* IESUM CHRISTUM, *Dominum nostrum, factum est, ut Deo gratias agere possim,* scil. *mihi liberatorem exstitisse,* ita hoc loco, ubi verba *τῷ Θεῷ* gravitatis causa praeposita sunt, Graeca Latine sonant: *Sed Deo gratias ago, qui nobis per Dominum nostrum,* IESUM CHRISTUM, *dat victoriam.* Levioris ponderis est testi-

monium librorum aliquot, qui pro Praesenti διδόντι habent Aoristum δόντι, eidem corrigendi studio tribuendum, quo deceptus Vulgatus Latinus cum aliis Interpretibus in Perfecto scripsit *dedit*. Mirandum autem non est, MEIIERUM et WETTIUM hîc quoque provocasse ad regulam, Praesens saepe inservire ad Futurum, cuius certa spes est, ante oculos ponendum. Idem iam antea placuit SLICHTINGIO et GERDESIO, placuit etiam HEYDENREICHIO et OSIANDRO, quamquam sibi minus constantibus, aliisque. Neque ab his reapse discrepant, qui cum RAPHELIO, PALAIRETO, WOLFIO Participium διδόντι interpretantur *pollicenti*. Hoc autem ad commendandum plures, quam ab iis allati sunt, excitari possunt Veterum loci, in quibus Verbum διδόναι primo adspectu notionem *pollicendi* habet, quod tamen improbavit KREBSIUS [1]). Sed quaestio, quid alibi fieri possit vel debeat, nunc sine damno sibi relinquetur. Quum enim vs. 56 evidenter huius vitae terrestris ratio habeatur, res ipsa, nisi fallor, loquitur, vs. etiam 57, qui illi, sine ulla temporum distinctione, oppositus est, Participium διδόντι ad eandem vitam referendum esse. Tum perpetuitate sua caret oratio, nisi *praesenti* malo, quod homines sibi peccando contrahunt, bonum etiam *praesens* opponatur. Et exhortatio vs. 58 sequens hinc aliena vel saltem minus commoda est, si praecedit promissio, victoriam aliquando Divinitus datum iri. Propterea vero multi a via aberrasse videntur, quod fraudem iis faciebat opinio sua, vs. 55 iubilantes induci sectatores CHRISTI, postquam in vitam revocati essent, quamvis alii, uti iam OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS, qui hanc opinionem cum iis communem habebant, Praesentis tamen notionem vs. 57 observarunt. Deinde error inde exortus est, quod minus recte interpretati sunt verba τῷ

[1]) *Observat. in N. T. e* FLAV. IOS. ad h. l.

διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος. Haec enim, uti docent sequentia διὰ — Χριστοῦ i. e. *per communionem Domini nostri*, IESU CHRISTI, *cuius nos participes fecit*, non explicanda sunt: *qui dabit nobis, ut aliquando victoriam accipiamus*, sed *qui dat nobis, ut hac in vita victoriam reportemus*. Quod etiam animadverterunt haud pauci: OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, MELANCHTHONUS, CALVINUS, ESTIUS, GROTIUS, cuius verba sunt: „Nempe dedit nobis vincere peccatum ac proinde mortem vincere." Ita formula διδόναι νῖκος vel νίκην alibi etiam usurpatur ad significandam victoriam, quam Dei vel Deorum facit cura, ut sibi reportent homines [1]). Sed valde simile est, quod legimus 2 *Macc.* X: 38: Εὐλόγουν τῷ Κυρίῳ τὸ νῖκος αὐτοῖς διδόντι, ubi Israëlitae Deum laudasse dicuntur, *quod eius beneficio certamine suo consequebantur victoriam*. PAULUS igitur Deo gratias agit, quod CHRISTI sectatores per communionem huius Domini sui eo perducti sunt, ut peccatum vincant atque sic mortis et inferorum metu superiores fiant. Haec illa victoria est, quae alibi aliis verbis praedicatur, utpote iis hac iam in vita obtingens vitaeque futurae adumbrans beatitatem, uti *Rom.* VIII: 37. 1 *Ioann.* V: 4, 5. *Apoc.* II: 11. III: 21. Itaque vitae aeternae participes mortem sibi iam una cum inferis tanquam subiectam habere dicuntur *Ioann.* V: 24. VIII: 51. *Rom.* VI: 23. 1 *Cor.* III: 22. 1 *Ioann.* III: 14. Huc etiam pertinet dictum IESU *Matth.* XVI: 18, quo, si negantem sententiam convertimus in aientem, asseverat ille, sectatorum suorum societatem hac in terra perstaturam esse, quibuscunque mortibus adversarii eam opprimere conentur. Vocabulo autem Θεῷ non Verbum ἔστω, sed ἐστί cogitando adiiciendum videtur, quoniam hoc aptius quam illud exhortationem sequentem praecedit. Utram-

---

[1]) *Ezech.* III: 9 secundum *Ald.* EURIP. *Suppl.* vs. 598 sqq. *Rhes.* v. 998, 999 al. DEMOSTH. *de male gest. legat.* p. 381.

que ferri potest *Rom.* VI: 17. 2 *Cor.* II: 14. VIII: 16, sed cf. *Rom.* VII: 25, imprimis 1 *Tim.* I: 12.

Vers. 58.

Laudationi suae beneficii Divini PAULUS haec subiungit verba: *Ὥστε, Ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι, περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου πάντοτε, εἰδότες, ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν Κυρίῳ.* Et haec quidem conclusio est totius disputationis, quae hoc in Capite cernitur, ut cum PELAGIO, OECUMENIO, THEOPHYLACTO et omnibus fere Interpretibus monuit WETTIUS. Rem satis declarare mihi videtur copulatio Particulae *ὥστε* et Imperativi *γίνεσθε*. Sic enim auctorem scripsisse, ut argumentationem longioris seriei, non vero, ut unam sententiam vel eius partem, lectorum ad animos applicaret, probant Cap. XI: 33. XIV: 39. *Phil.* II: 12. IV: 1. Quibus ex locis simul apparet, eum, et orationi ita inceptae inseruisse appellationem caritatis plenam *ἀδελφοί μου ἀγαπητοί* vel similem, et hîc adhortatione sua *sectatores* CHRISTI *Corinthios* generatim spectasse, non vero, ut SEMLERUS voluit, *ministros doctrinae.* MEIJERUS Particulam connectens cum proxime praecedentibus: *τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος*, et interpretans: *itaque, quum de victoria certi sitis*, provocat quidem ad sequentia *εἰδότες, ὅτι* cet. sed Apostolum ibi non amplius rationem habuisse victoriae aliquando accipiendae, vel, ut mentem eius fuisse vidimus, ab hostibus hac in vita reportandae intelligitur ex circumiectis. Ergo non dubito, quin sibi voluerit: *Itaque, Fratres mei carissimi, quum hanc beatam immortalitatem nobis propositam esse constet.* Nec tamen negaverim, proxime praecedentia PAULUM ad

totius Capitis disputationem sic concludendam perduxisse.

Adhortationis principium: ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι Vulgatus Latinus fecit: *stabiles estote ac immobiles;* sed Graeco γίνεσθε, quamquam pro Imperativo verbi εἶναι usurpari solet, magis convenit Latinum *existite*, quo notiones utriusque *esse* et *fieri* comprehenduntur, quam *estote.* Deinde Adiectiva ἑδραῖοι et ἀμετακίνητοι temere per Particulam *et* copulantur, quum Asyndeta sint, ad quorum alterum ab altero separandum, PAULUS iis studiose Verbum γίνεσθε interposuit. Neque ideo tamen ita distingui debent, ut illi cogitando addatur *in fide*, huic vero *in spe*, quod GERDESIO placuit aliisque, a quibus non omnino dissensit OSIANDER. Hac enim interpretatione languor affertur postremis: εἰδότες, ὅτι cet. quae demum ad spem beatitatis futurae enunciandam inserviunt. Magis se commendat ERASMI sententia, quam BENGELIUS, MEBIUS aliique secuti sunt, neque OSIANDER improbavit, inter vocabula ἑδραῖοι et ἀμετακίνητοι hactenus interesse, ut illo significentur: *qui firmam et certam tenent sedem*, hoc vero: *qui aliunde alio moveri et abduci non possunt.* Ut enim verisimile est, haec Adiectiva, quum absolute posita sint, ad eandem rem i. e. *fidem* pertinere; sic genuina eorum potestas suadere videtur, ut alterum referatur ad *animi constantiam in fide retinenda*, alterum *ad animi perseverantiam in fide tuenda.* Cui interpretationi non obstat *Col.* I: 23, ubi verba καὶ μὴ μετακινούμενοι ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ εὐαγγελίου exponenda sunt: *et ne a fide avertamini ad spem Euangelii perdendam*, quemadmodum superiora τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι firmitatem et constantiam eiusdem *fidei* denotant, quae proposita est vocabulis τῇ πίστει, cum Verbo ἐπιμένετε arcte coniungendis, uti non solum ex *Rom.* VI: 1. XI: 22, 23, sed etiam ex 1 *Tim.* IV:

16 apparet [1]. Generatim autem *fidem Christianam*, ut in praecedentibus huius Capitis locis cum CRELLIO, GERDESIO aliisque interpretibus spectari puto. Ceterum verbis: ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι imaginem contineri ab athletis petitam, equidem haud inficior; sed si BEZAE, WOLFIO, aliis concedendum est, PAULUM sectatores CHRISTI cum athletis comparasse, negari nequit, eum se imaginis suae immemorem praestitisse scribendo περισσεύοντες cet.

Iam adhortationi *constantes existite, perseverantes*, accommodata est sequens: *abundantes in opere Domini semper*, ut Vulgatus reddidit Graeca: περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου πάντοτε. Recte OSIANDER Participio περισσεύοντες *abundantiae* notionem vindicat contra MEIIERUM et WETTIUM, qui interpretari malunt *vos distinguentes*. Quod uti minus quadrat in *Rom.* XV: 13. *Phil.* I: 9, 26, in quibus locis Praepositio ἐν cum Nomine Verbum περισσεύω sequitur, nec ferri potest 1 *Cor.* VIII: 8. 2 *Cor.* VIII: 2. IX: 8 et alibi, ubi orationis forma longius ab hac differt, sic etiam nihil praesidii habet in Cap. XIV: 12, ubi nulla causa est in optati ἵνα περισσεύητε interpretatione notionem vulgarem deserendi. CRELLIUS autem Participio περισσεύοντες *copiam* denotari aiens, *incrementum* vero non item, animadvertere neglexit, illam ita explicari non posse, quin hoc ei insit. Non dubito igitur, quin PAULUS sibi voluerit: *maiores deinceps progressus facientes*; quibuscum subiecta ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου connectenda esse, non vero cum remotioribus ἑδραῖοι et ἀμετακίνητοι, ut BOSVELDIO, PALMIO paucisque aliis placuit, post plerosque Interpretes MEIIERUS, WETTIUS et OSIANDER viderunt. Nimirum, ut mittam, notionem eorum multo minus his Adiectivis quam Participio

---

[1]) Cff. quae disputavi in *Comm.* ad *Phil.* I. 24.

περισσεύοντες convenire, auctor ea consulto inter hoc Participium et Adverbium πάντοτε collocavit, ut a praecedentibus separarentur. Si quis fortasse cum nonnullis, quibus GERDESIUS calculum adiecit, distinctionem ita mutari posse ait, ut Adverbium πάντοτε cum sequenti εἰδότες coniungatur, animadverti volo, in PAULI Epistolis verba εἰδότες, ὅτι nusquam vocabulum aliquod ante se habere. Cff. *Rom.* V: 3. VI: 9. 2 *Cor.* I: 7. IV: 14. V: 6, ubi inter πάντοτε et εἰδότες posita est Particula καί. De eo autem, quid hoc loco sit τὸ ἔργον τοῦ Κυρίου, Viri Docti inter se non consentiunt. Alii cum OLSHAUSENIO et HASIO *propagationem Euangelii*, alii cum MEIIERO, a quo haud longe distat BOSVELDIUS, *institutum salutare, cuius auctor* CHRISTUS *fuit et esse pergit*, alii cum CHRYSOSTOMO multisque interpretibus *officia pietatis et virtutis* intelligi iubent. Quod ut tueatur WETTIUS, discernenda esse monet Apostolorum officia ab officiis quorumlibet sectatorum CHRISTI. OSIANDER omnia, quae recensuimus, comprehendi vult, ita tamen, ut praesertim ratio habeatur *praedicationis doctrinae Christianae*. Sed definiunt Interpretes, quod non definivisse videtur ipse PAULUS. Generatim, nisi fallor, scripsit τὸ ἔργον τοῦ Κυρίου ad denotandum *quidquid cuivis Dominus mandavit*, seu, ut legimus apud GROTIUM, quocum SLICHTINGIUS, PETERSENIUS, PALMIUS summatim consentiunt, *omnia, quae Deo grata sunt*. Hic autem an, PELAGII, OECUMENII aliorumque vestigiis insistens, vocabula τοῦ Κυρίου recte interpretatus sit *Dei*, quaestio moveri potest. Quod vulgo sumunt et CRELLIUS asseveravit, intelligendum esse CHRISTUM, loquendi nititur usu, etiam hac in Epistola Cap. VI: 13, 14, 17. IX: 5. XI: 23, 27 al. reperiundo. Sed his locis obstant alii, uti Cap. III: 5. VII: 17. XVI: 7, ubi *Deus* appellari videtur ὁ Κύριος. Quam interpretationem hinc non alienam esse docent. vss. 47 et 57, quoniam ibi *circumiecta*

appellationem ὁ Κύριος ad CHRISTUM referri iubent. Fortasse PAULUS alteri Κύριος Articulo addendo, alteri non item, *Deum* et CHRISTUM inter se distinguere voluit. Cff. Cap. IV: 17, 19. X: 21, 22, 26 aliique loci. Sed sensus orationis eodem redit, sive interpretamur *in opere, quod cuivis mandavit Deus*, seu *in opere, quod cuivis mandavit* CHRISTUS. Quemadmodum vero hîc generatim sumo τὸ ἔργον τοῦ Κυρίου, sic etiam sumendum est, *Rom.* II: 15, τὸ ἔργον τοῦ νόμου; 1 *Thess.* I: 3, τὸ ἔργον τῆς πίστεως; item *Ioann.* IV: 34. VI: 28, 29. coll. XVII: 4, τὸ ἔργον vel τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ [1]). Cf. 3 *Esr.* V: 58. Et si hinc discedi debet 1 *Cor.* XVI: 10 et *Phil.* II: 30, de quo mihi nondum persuasum est, caussa in eo cernitur, quod Genitivus caret Articulo. Omnibus autem huius Epistolae lectoribus non eadem, sed singulis sua, prouti ferret vitae genus, ingenii facultas, loci indoles, imposita fuisse officia Christiana, res ipsa loquitur.

Postrema huius Capitis: εἰδότες, ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν Κυρίῳ, non cum remotioribus ἑδραῖοι et ἀμετακίνητοι, ut volunt CALVINUS, GERDESIUS, MEHERUS [2]), sed tantum cum praecedentibus περισσεύοντες cet. connectenda esse, docet vocabulum κόπος, quippe ab illis alienum, his vero accommodatum. *Laborem* significat *molestum*, uti 1 *Thess.* I: 3. *Apoc.* II: 2. XIV: 13, quibus in locis κόπος et ἔργον itidem a se mutuo distinguuntur, quemadmodum 2 *Cor.* XI: 27. 1 *Thess.* II: 9. 2 *Thess.* III: 8 κόπος et μόχθος coniunguntur. Et quis sane negaverit, difficultates fuisse varii generis, quae *Corinthios* aeque atque aliorum locorum incolas impedi-

---

[1]) Cf. OLTRAMARE, *Comment. sur l'Épitre aux Romains*, ad Cap. II: 15.

[2]) In Ed. I. sed in Ed. II. mentem suam mutavit.

rent, quominus se semper et ubique veros praestarent CHRISTI sectatores? PAULUM autem per Litoten scripsisse *οὐκ ἔστι κενός*, ut laborem eorum *maxime salutarem* diceret, GROTIUS, VORSTIUS, BENGELIUS aliique bene monuerunt. Orationis vero contextae causa hoc cum MELANCHTHONE explicare non ausim salutare *rei Christianae*, quamvis explicationi illi favent *Phil.* II: 16 et 1 *Thess.* III: 5. Immo Apostolus, ut fere omnes censent Interpretes, vitae futurae commemoravit beatitatem, eos manentem, quotquot hac in vita CHRISTUM sequerentur ducem. Formulam *ἐν Κυρίῳ* BEZA, ESTIUS, CRELLIUS aliique cum OECUMENIO et THEOPHYLACTO ita traiici posse putarunt, ut cum remotioribus *ὁ κόπος ὑμῶν* connectatur. Sed, ut huiusmodi traiectione toleranda omnis fluctuat interpretatio, sic ea ab hoc loco aliena est, quoniam auctor non scripsit *ὁ ἐν Κυρίῳ*. Et cur tandem verba *ἐν Κυρίῳ* a proxime praecedentibus avellamus? Explicanda enim sunt, ut alibi, *in communione Domini*. Nihil vero obstat, quominus hoc pendeat a tota huius sententiae parte: *εἰδότες, ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενός*. Eandem structuram sibi haec formula postulat *Rom.* XVI: 22. 1 *Cor.* IV: 17. XI: 11. 2 *Cor.* II: 12. *Eph.* V: 8. *Col.* III: 20, item Cap. IX: 1. Itaque sensum horum Verborum esse puto: *quippe scientes, quidquid alibi sine fructu sit, laborem vestrum molestum vobis maxime salutarem esse in communione* CHRISTI. Atque sic PAULUS graviter huius Capitis disputationem concludit.

INDICES.

LOCI LITERARUM SACRARUM, QUI OBITER LUSTRANTUR.

VETERUM SCRIPTA VERBAQUE ET RES, QUAE EXPLICANTUR.

CORRIGENDA.

Quae vitiose expressa sunt, uti a principio HEYDENREICHII nomen, Lector benevolus ipse corrigat.